



Johannes Fridericus Weidlerus  
Mathem: Supcr: P.P. Ordinar.

## Werk

**Titel:** Acta Academiae Vitembergensis

**Jahr:** 1725

**Kollektion:** vd18.digital

**Digitalisiert:** Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

**Werk Id:** PPN818794143

**PURL:** <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN818794143>

**OPAC:** <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=818794143>

## Übergeordnetes Werk

**Werk Id:** PPN814206034

**PURL:** <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN814206034>

**OPAC:** <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=814206034>

## Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

## Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen  
Georg-August-Universität Göttingen  
Platz der Göttinger Sieben 1  
37073 Göttingen  
Germany  
Email: [gdz@sub.uni-goettingen.de](mailto:gdz@sub.uni-goettingen.de)

(3)

ACTA  
*ACADEMIAE  
VITEMBERGENSIS*

IN RECTORATV SEMESTRI  
**IOANNIS HENRIC**  
**DE HEVCHER**  
CONSILIARII AVLICI ATQVE  
ARCHIATRI REGII ANATOMES ET  
BOTANICES PROFESSORIS IN ACA-  
DEMIA VITEMBERGENSI  
PVBLICI

A. C. CLXXXIII. et XXIV.



VITEMBERGAE, apud GEORG. MARCVM KNOCHIVM.  
M DCC XXV.

VIRO  
MAGNIFICO, EXCELLEN-  
TISSIMO, AMPLISSIMO  
**IO. FRIDERICO**  
**WEIDLERO,**  
MATHEMATVM SVPERI-  
ORVM PROFESSORI PVBL.  
CELEBERRIMO,  
MAECENATI SVO ATQVE  
PATRONO  
SVMMO ANIMI CVLTV  
SVSPICIENDO.

VIR MAGNIFICE, EX-  
CELLENTISSIME DOMINE,  
PATRONE MAXIME,

**D**Vo sunt, quae in TE vehe-  
menter admiror, alterum  
humanitas Tua summa, al-  
te-

terum, illi amico uinculo iuncta,  
singularis gravitas. Vtraque ex ue-  
nustate oris Tui, uultusque decore  
recluget. Admirabile utriusque in  
animo Tuo temperamentum. Quid  
mirum, si, qui in Te intuentur, capi-  
antur, si, quod sit, illa amorem erga  
Te hominum excitet, haec, uenera-  
tionem. Grauitatis autem Tuae uix  
excellentius magnificentiusque alle-  
gare potero exemplum, quam hoc,  
quod haud ita pridem, cum Acade-  
miae huius fasces teneres, edidisti.  
Ita namque omnibus et singulis, et  
Patribus Academiae conscriptis, et  
iis, qui huc, tanquam ad bonarum  
literarum mercatum, ueniunt, pru-  
dentiam grauitatemque Tuam pro-  
basti, ut illi gratulati sint sibi de tan-  
to Collega, hi admirati Rectorem  
suum Magnificum. Unde factum  
etiam

etiam est, ut haec Musarum sedes, Te  
praefide, sine omni turbarum strepitu,  
quieta manserit, atque tranquilla. Hu-  
manitatem quod attinet, hanc, uti praedi-  
cant omnes, quotquot Te norunt, ita ego  
quoque, expertus eam, celebro. Tanta  
enim me benevolentia, quod hic loci rei  
librariae operam dedi, complexus es, ut  
Tuo nixus Patrocinio, multis fortunam  
meam commodis, auctam uiderim atque  
amplificatam. Quam ob rem, cum tot  
Tua in me extent merita, grati animi ar-  
dore adductus, hanc, quam uides, opel-  
lam, Magnifico nomini Tuo inscripsi. Su-  
scipe eam ingenita Tibi humanitate, gra-  
uitateque Tua tuere. Quod superest,  
DEV M T. O. M. ueneror, ut Te in Aca-  
demiae huius decus atque ornamentum,  
diu praefstat in columem, omneque beati-  
tatis genus in Te cumulatissime conferat,  
me uero fortunamque meam, Patrocinio  
Tuo, qua possum animi demissione com-  
mendo

## MAGNIFICI NOMINIS TVI

*Cultor demississimus*  
Georg. Marcus Knoche.

PRAE-


## PRAEFATIO

### ad Lectorem.

**A**ccipe, benevole Lector, tertiam, eorum,  
quae in Academia nostra ad hoc tem-  
pus gesta sunt, partem. Damus eam,  
ut multorum desiderio satisfiat, qui, rerum  
nostrarum propter absentiam ignari, institu-  
tum hoc vehementer probarunt. Continen-  
tur autem hoc volumine Academiae Acta  
Rectore Magnifico, Domino D. HEVCHE-  
RO, Archiatro Regio, cuius tamen absentis  
vices, Nobilis Dominus de BERGER, P. P.  
et Consiliarius Aulicus, sustinuit. Caete-  
rum, ut hos conatus nostros bene consulas,  
rogamus, quod, si feceris, quartam quin-  
tamque horum Actorum partem, si DEVS  
sierit, primo quoque tempore edemus.

Benevole lector, studiisque nostris  
faue.

ACTA



ACTA  
ACADEMIAE  
**VITEMBERGENSIS**  
IN  
RECTORATV SEMESTRI  
IOAN. HENRICI DE HEVCHER,  
POTENT. POLON. REG. ET ELECT. SAXON. CON-  
SILIARIU AVLICI ARCHIATRI REGII ANA-  
TOMES ET BOTANICES PROFESSO-  
RIS IN ACADEMIA VITEMBER-  
GENSI PVBLICI.

A. C. CI CI CC XXIII. ET XXIV.

**O**ptimis Auspiciis atque auspicato in loco  
d. 18. Oct. 1723. IOANNES  
HENRICVS DE HEVCHER,  
Potent. Polon. Reg. et Elect.  
Saxon. Consiliarius Aulicus, Archiater  
Regius Anatomes et Botanices Professor  
Publicus, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFI-  
CVS statis, solennibusque ceremoniis pie salutatus  
ac renunciatus est.

IN R. I. H. DE HEVCHER.

A

Pri.

Primus, qui hoc semestri Cathedram concendit, fuit illud Theologorum ocellum et non Vitebergae solum sed totius ecclesiae Lutheranae felix sidus, D. MARTINVS CHLADENIVS, qui uti est ingenio felicissimo iudicioque acutus ac perspicax ita incomparabili sagacitate in indagandis Aduersariorum mysterio plenis fraudibus et interpretandis sacrae scripturae effatis praeditus. Et praesens Disputatio, quam habuit d. XIX. Oct. confirmabit uera esse, quae sine ulla adulazione diximus. Agit autem illa de introuersione hominis in se ipsum, cum uera tum fanatica, quam sub Praesidio grauissimi huius Theologi publicae placidaeque disquisitioni submisit, M. IOH. CHRISTIAN LETSCH, Vratislauiepsis. Literis uiduae Gerdesiae, 8. pl. Praemittit auctor praefamnen quoddam, in quo ex Cant. Cant. doctrinam de mediis et ordine salutis, nec non cantibus Spiritus S. applicatoriis, comparat cum vinea spirituali, commonstratque, quantis eadem subiecta sit hostibus, tum apertis, tum callidis, et custodes nonnunquam minus fideles acceperit, quod exempli loco dissertatione hac, de introuersione hominis in se ipsum, probare promittit. Tractatio duabus absolutur sectionibus, quarum I. de introuersione in se ipsum uera, agit. Praemittit Auctor Positionem, quae omnem de uera in se ipsum introuersione, doctrinam, neruose complectitur. Huic subiicit *ex-Deo*, §§. XII. constantem. harum I. in uocabulum introuersionis inquirit, illudque non innocensissimum solum, uerum etiam biblicum esse, demon-  
strat

strat ex Es. XLVI. 8. ubi sanctum quendam redditum  
in cor suum, Prophetam innuisse docet, eamque  
in rem *Westhemerum*, qui in libro de Trop. et  
Schem. Scripturae, p. 257. dicit: ad cor redire, di-  
cunt Ebraei, quod Latini ad bonam mentem redire,  
aut sibi restitui, unde LXX. ponunt μετανοίσατε, i. e.  
resipiscite. § II. Synonymiam uocabuli recenset, ex  
loco non uno praesertim uocabuli בְּשָׁבֵת notionem  
exanimat, ex Es. XXX. 15. aequipollere scil. inter-  
dum notioni בְּשִׁבֵּת sed sit, uel בְּשִׁבַּת quieuit, ut in-  
nuatur reuersio cum quiete uel Sabbatismo quodam,  
quam notionem, Ioann. Gussetium, comment.  
lingu. hebr. sub radice בְּשִׁבֵּת neglexisse, monet. §. III.  
de existentia reditus hominis in se ipsum commen-  
tatur, eamque 1) generatim describit per ordinatio-  
nem cogitationum errantium uel diuagantium at-  
que collectionem ac determinationem eorum, ad  
certum aliquod obiectum, siue sit, siue uideatur,  
utile, 2) speciatim per actum aliquem intellectus  
reflexum, quo homo se ipsum intuetur, et ubi antea,  
ad speculandas extra se positas creatas res siue ar-  
duas siue fuitiles mentem applicauerat, tandem co-  
gitandi facultatem ad se ipsum dirigit, ut statim  
suum uel naturalem, uel moralem, uel spiritualem  
consideret accuratius, de eoque sobrium ferat iudi-  
cium, ad finem suum felicius obtinendum. Exem-  
plum affert ex Cohel. I. 1. 13. II. 12. III. 16. IV.  
1. 4. et XII. 1. 13. §. IV. Gentilium de αὐτογνωσίᾳ  
haec affert testimonia, praecipue tritum illud γνῶθι  
σεαυτὸν, cui iungit Senecae uerba, ex Epist. 68. et 56.

Ieue illud ingenium, nec se adhuc reduxit introrsus quod ad uocem ex accidenti erigitur. Et locum Arriani ex Epict. lib.I. c. VI. p. 29. §.V. docet, unde hauserint haec gentiles, 1) quidem, remansisse quedam ex pura Patriarcharum religione, apud eos stamina, quae in praeceptis moralibus constituerint, 2) accessisse luminis naturae dictamen de DEO collendo, neminem laedendo, ex quo scrutinium de DEO ac se ipso fluit, 3) consortium cum populis aero DEI cultui addictis, exemplo Pythagorae et Platonis ἐαὐλογωσίᾳ maxime urgentium, 4) omnibus hominibus συνήγενσι, scilicet complexum quandam principiorum, tum Theoreticorum tum practicorum, naturaliter inesse, ad quae accedat συνέδοσις stricte dicta scilicet conscientia, etymologice sumta, et tandem σύγκρισις, hominem absoluens uel damnans, fieri non posse, quin haec in se ipsum introuersio instituatur. Hanc in sententiam adducit Senecae uerba ex Epist. VII. recede intra te ipsum quantum potes! et ex lib. III. c. 36. de ira: Animus quotidie ad rationem reddendam uocandus est, κ. τ. λ. quo demonstratum it, quanto rigore lumen naturae hominem ad perscrutationem sui ipsius adigat. §.VI. introuersionem hominis non regeniti exponit, quam urgere dicit, conscientiae, instar syllogismi intellectus practici se habentis, sententia decretoria, et stimuli, pungentes satis, calamitates, tum publicae tum priuatae, diuinitus immissae. §.VII. quam imperfecta sit introuersio in se ipsum, quae in Domo sua interiori (uti Bernhardus integro libro conscientiam

tiam

tiam appellat) a gentilibus instituitur, demonstrat, idque confirmat testimoniiis Senecae hac in re uer-satissimi, §. VIII. eandem, ab irregenito ex scriptu-rae lumine institutam, describit, et quam longo et illa, e lumine naturae facta, interuallo distet, fuse edocet. §. IX. ad introuersionem in se ipsum per poenitentiam, accedit, quam dicitesse eam, ubi homo post contritionem, Christum fide apprehendit, adeo-que gratia Spir. S. uocante, illuminante, conuertente et regenerante uitam spiritualem accipit, quo *extra se* facto, interna unione mystica cum Christo uni-tur, et ita, quoad uiuit, fidem et bonam consciエン-tiam conseruare, et *euθανασία* frui studet, qui tamen et tum suos in defectus nullo non tempore *ex* pracepto Pauli I. Cor. XI, 31. inquirit. §. X. ho-minis iam tum regeniti exponit introuersionem in se ipsum, quam eo frequentiorem accuratioremque esse dicit, quo arctior sit cum DEO unio, ex sententia B. Lutheri theses aduersus Tezelium ordientis: *Do-minus noster I. C. dicendo: poenitentiam agite, omnum uitam fidelium poenitentiam esse uoluit.* Hanc nunc fieri meditatione beneficiorum diuinitus exhibitorum, indignitatis propter peccatum originale, eiusque fructum uellicantem concupiscentiam, ca-liginis in intellectu, ἀνονίας in uoluntate, nunc in-finitae sapientiae bonitatis et misericordiae diuinae. Caute tamen eam fieri, ne a uerbo abeat, aut se effe-rat homo fidelis, aut ab externis officiis partibus ab-strahatur, §. XI. exhibit 1) necessitatem eius a) ex praecampo diuino, b) statu hominis, c) poenitentiae

natura, *d*) gradibus obiectorum, *e*) fidei indole, *2*) utilitatem exserentem sese, *a*) consecutione gratiae diuinae iustificantis, *b*) restitutione gratiae diuinae inhabitantis *c*) eiusdem conseruatione, *d*) custodia accurata sui ipsius et gaudio, quod percipiunt fideles, *e*) perpetua sui humiliatione et patientia, *f*) strenuo precum ac uirtutum Christianarum exercitio. *3*) Difficultatem *a*) in irregenitis propter naturaliter inherentem superbiam *b*) in regenitis, siue stantibus siue lapsis, propter pugnam carnis et spiritus elationem spiritualem, optimos quoque tentantem, *4*) remedia, *a*) Speculum legis, poenitentiam inculcans, *b*) gratiam diu. imploratam, difficultatem hanc tollentem. §. XII. Opposita recenset, *a*) introuersionis omissionem, utpote effectum carnalis securitatis, *b*) falsam eius constitutionem, pro diuersitate falsorum principiorum, circa Oeconomiam salutis. Cuius specimen est doctrina fanaticorum de introuersione hominis in se ipsum, quam Sect. II. tradit. Praemitit itidem positionem, qua omnem fanaticae introuersionis doctrinam complectitur. Subiungit εὐθεσία, quae §§. XVI. constat §. I. denominations introuersionis fanaticae affert ex Molinoso, Boehmio, aliis: iam uocari eam recollectionem interiorem iam eine wesentliche Einkehr, Abkehr, etc. deinde prolixo declarat, quid his sibi uelint, ex Corderio et Guonia, §. II. docet eos non lumen uerbi, sed aliud longe, quaerere, quod illis nunc substantiale est, nunc accidentale, quae omnia confirmat, ipsis fanaticorum praeceps Boehmii, uerbis §. III. ostendit terminum eius

ejus ad quem, ubi uidelicet ex horum sententia fieri  
debeat, isthaec introuersio, 1) non esse intellectum  
et uoluntatem, atque appetitum, sed 2) fundum ani-  
mae, quem centrum nominant, §. IV. Medium, quo  
utuntur, illegitimum examinat, nimirum non esse il-  
luminationem Spiritus Sancti per uerbum, sed con-  
temto hoc, peculiarem inmediatumque DEI ductum  
et eliminatis omnibus ideis de DEO rebusque diui-  
nis, quod Poireti uerbis probat, planumque facit,  
quid Carlostadius terminis obscurissimis, *Entgro-  
bung, Langeweil, Studirung*, uoluerit. §. V. Modum  
horum spurium notat, quo uolunt, ut homo aeterno,  
quem singunt, Spiritu, rejecto naturali, i. e. rationa-  
li peragat introuersionem. §. VI. Obiectum illegiti-  
mum centrum intra hominem positum, quod ipsum  
DEVM esse clamant, significat, ad hocque perruptio-  
ne, durch den Einbruch se peruenire posse iactitant  
eosque multum, hanc in rem ex Rabbino-Cabbali-  
sticis subsidii petere, exemplo Pordagii et Auctoris  
*adumbrationis Cabalae Christianae* §. VII. refert,  
quam belle simulando incautos fallere studeant, scri-  
pturae lumen urgentes, ex *Anonymi* libello Msto et  
Poireto ubi loca Es. XLVI, 8. et Apoc. III, 2Q. a per-  
uersa eius explicatione vindicat §. VIII. declarat,  
quid requirant fanatici, antequam suscipiantur intro-  
uersio, alii scil. meram passiuitatem, alios summam  
actiuitatem cordis, hos ideo de summis angustiis lo-  
qui, quae a Molinoso Martyria spiritualia nominan-  
tur, item actualem cooperationem, resignationem  
sui et abnegationem, mortificationem. In sequenti-

bus effectus huius falsos recenset horumque I. deductionem in statum passiuum. §. IX. ubi plane nihil ab anima agi uolunt, ne orare quidem II. substantiam regenerationem §. X. quam natuitatem Christi in nobis, dicunt, ubi obseruat auctor, quod in hac absurde regenerationi praemittant bona opera, quae tamen scriptura solis iustificatis tribuit III. ecstas in extrapoſitionem hominis et raptum singularem §. XI. cuius forma ex fanaticorum mente, conſiftit in intellectus et uoluntatis euacuatione atque alienatione, coniuncta cum tali eleuatione, ut etiam corpus ipsuni ſimul tollatur, et eterra in ſublime feratur, ipſis ecſtaticis non aduertentibus, IVtum reuelationes diu. ſapientiae coeleſtis, §. XII. ſpecimina ex Boehmii, aliorum, deliriis afferuntur. Utum remotionem et expurgationem quisquiliarum corporis §. XIII. VI. effectum, annihilationem ſui et ingressum in DEVUM §. XIV. recenset, ubi urgent, ut ex egoitate redeant in nihilum, deinde in DEVUM §. XV. VII. et ultimum eumque principalem ex introuerſione hac in ſe ipsum prouenientem ſiſtit, absorptionem uidel. in DEVUM §. XVI, XVIII. argumentis contra introuerſionem hanc fanaticam allatis huic dissertationi ſinem imponit.

Die 27. Octobr. habebatur dissertatione, quae theſſum Physicarum decades duas complectitur, quas praefide D. MARTINO GOTTHELFF LOESCHERO, Phys. Profess. publ. ordin. Medic. extraordinar. eiusdemque Facult. ſiſſeff. nec non Sereniff. Duc. Saxo-Vinar. Phys. Prouinc. et ordinis ſui t. t. Decano, de-

fen-

fendebat A. et R. M. SAM. CHRIST. HOLLmann,  
Sedin. Pom. in quibus nonnulla de anima aduersus  
celeb. cuiusdam uiri nouam sententiam, qua animas  
gradibus inter se differre statuit, paucis disputantur,  
nec ut ad eiusmodi graduale recurramus discrimen,  
opus esse ostenditur, cum omnia ex corporum di-  
uersitate et differentiis temperamentorum iuxta sen-  
tentiam hactenus probatam, explicari queant. Eo-  
dem die habebatur horis pomeridianis in auditorio  
Philosophico *dissertationis posterioris de stupendo*  
*naturae mysterio anima humana sibi ipsi ignota Se-*  
*ctio prima, praeside M. SAM. CHRIST. HOLL-*  
*MANNO, Sedin. Pomer. et Respondente GEORGIO*  
*LOEBELIO, Dietersdorp. Misnico. Literis uiduae*  
*Gerdesiae, pl. 2.* Auctor in praefatione monet, prio-  
rem hoc de argumento Dissertationem iam in Aca-  
demia Gryphswaldensi habitam a se esse, cum ibidem  
praelectiones philosophicas instituerit, ostendit au-  
tem in eadem priori auctor, §. 5. quo sensu animam  
sibi ignorantam esse intelligat, scilicet qua cognitionem  
non a *posteriori*, quae concludendo et argumen-  
tando ex uariis animae operationibus colligitur;  
sed a *priori*, quam immediata reflexio uel parit,  
uel parere saltem debebat. §. 7. demonstrat, ani-  
mam sibi ignorantam esse qua existentiam, ac specia-  
tum, quod existat, siquidem ex cogitationibus suis,  
demum eandem colligat, quemadmodum et Carte-  
sius eodem modo argumentatus a cogitatione ad  
existentiam sui fuerit, in notissimo illo *Cogito, ergo*  
*sum*, ubi simul haec uerba male a nonnullis intelli-  
giuntur.

A 5

osten-

ostendit, tanquam ex *illo* principio rerum omnium notitiam hauriendam statuerit, cum tamen ab *illo* solum solidae omnis cognitionis initium faciendum esse Cartesius uoluerit, §. 8. ostenditur ignotam sibi animam in eo esse, ubi existat, ubi controversia de sede animae paucis attingitur, §. 9-13. qui ultimus huius dissert. est §. traditur ignotam sibi eandem qua essentiam esse, et uariae de essentia animae sententiae adducuntur. Recusa haec Dissertatio hic est auctior et emendatior. Litteris uiduae Gerdesiae 1724. plagg. 3. Illa autem, quae hic uentilata est Dissert. posterior, Sect. I. 12. §§. complectitur, ex quibus §. 1. nexus modo posterioris dissert. cum priori breuibus sistit. §. 2. ad facultates animae progreditur, easdemque animam ignorare ostendit. Distinguuntur illae, communem iuxta sententiam in Systemate influxus receptam, in *rationales*, *sensituas* et *uegetatiuas*: de primis primo loco agitur easdemque animam non a priori nosse, sed concludendo solem assequi obseruatur: unde §. 3. Petri Poiretti de tribus animae facultatibus adducitur sententia et § 4. Andreeae Rudigeri qui intellectum et uoluntatem diuersis substantiis, quarum illam mentem, haec *animam* appellat, tribuit *phys.* Diu. lib. 3. cap. 16. pag. 758. §. 6. et 7. addi facultates *sensituas* pergitur, speciatim ad *loco-motiuam*, ubi monetur, ignorare animam nostram, quomodo uel totum corpus, uel singulos eiusdem moueat artus. Licet enim ex obseruationibus physicorum recentiorum discamus, fieri id mediantibus musculis,

neruis

neruis et succo nerueo, admodum tamen hanc cognitionem esse imperfectam, cum ignoret anima, quomodo ipsos spiritus animales seu succum nerueum moueat, atque ad hos uel illos, ad quos ipso actu feruntur, ableget artus: et si uel maxime perfectissima esset, esset tamen iam a posteriori petita, quia illi ignorant, qui physicam non callent. Atque hoc est quod §. 8. et 9. potissimum tractatur §. 10. singularis consideratus loco-motiuae species *loquela*, ubi duo ignorare animam ostenditur 1) quomodo fauces ita constringat, ut distinctus prodeat sonus. 2) quomodo sonum illum conceptibus conformem reddat, ita ut id os eloquatur, quod anima cogitat, atque haec § 11. ne a posteriori quidem explicari satis posse, monetur. §. 12. ad affectus eorundemque theoriam spectat, et quomodo in iisdem ab anima sanguis impetu fortiori moueatur, tandem ignorare notatur. Fieri impulsu sanguinis sentimus, nouimus quoque, ex animae eundem representationibus oriri, adeoque ab anima esse, siquidem nullo praesente obiecto externo, ex solis saepius cogitationibus nascitur; et tamen quomodo eandem anima producat aut quo in puncto corporis sanguinem impellat, ignoramus.

Die Octobr. de Nicolaitis ex haereticorum catalogo expungendis commentationem Theologicam ad Apoc. II, 6. 14. et 15. Praefide IO. GVIL. IANO Theol. D. et P. P. Alumnorum Regio-Electoralium Ephoro et eo tempore Ord. Theol. Decano publicae disputationi subiecit CHRISTIANVS RV-  
DOL-

DOLPHVS SCHROETER *Palaeogottera Thur.  
S.Theol. Stud.Vitemb. lit.Gerdesianis* §  $\frac{1}{2}$ . Praemisit Auctor praefationem, in qua se loca in quae commentatur, a peruersa Arnoldi, aliorumque sententia Haeresin ex illis practicam exsculpentium, vindicaturum esse, promittit. Omnem uero rem Illbus absolvit capitibus, quorum Imo, uulgarem de haeresi Nicolitarum traditionis originem et progressum ob oculos ponit. Illo eandem nullo niti fundamento demonstrat, ac Illtio speciatim Epistolas Apocalypticas, contra peruersam expositionem, ex qua fabula orta est, vindicat, quae omnia §§. XX. deduxit. §. I. primum traditionis illius auctorem nominat, uidelicet Irenaeum, cuius loca in subiectis notis attulit, neque uero Ignatum, neque Clementem Romanum autores esse, nec denique ex Constitutionibus Apostolicis homini posse ex Mstis non interpolatis §. II. demonstrat. §. III. ad Irenaeum redit de Nicolaoque Magistro haereseos, et huius occasione secundum Clementem Alexandrinum, praecipit; quam ex Clementis uerbis de Nicola referentis, eum dixisse: ὅτι παραχεῖθαι τὴν σάρκα δεῖ, horumque uerborum diuersa interpretatione ortam esse §. IV. iudicat. §. V. aliam occasionem, a quibusdam excogitatam ex Epiphanio allegat, uidelicet Nicolaum ab optima uiuendi ratione ad pessimam transuisse, §. VI. et VII. errores Nicolai tum in doctrina morum tum fidei tradit, haec ex capite Imo. capite Illo. §. VIII. docet Nicolaiticae haerescos testes non àutoris esse et sufficienes, testimonio Eusebii nixus, qui haeresin illam

illam dicto citius extinctam fuisse scribit, ut adeo ne Irenaei quidem attigerit aetatem §. IX. ipsos scriptores inter se dissentire memorat, cum alii Nicolaum doctrina, exemplo alii, Nicolaitis praeiuisse, alii ex dictis factisue eius male intellectis, alii aliunde errorrem promanasse, narrent. §. X. probat a) Scripturae Sacrae Historiam Nicolai Act. VI. recensenti, aduersari, nec Epiphanius atque Clementis narrationem fundamento niti §. XI. XII. b) aliorum patrum, Hesegippi speciatim traditioni aduersari §. XIII. ipsi denique Irenaeo, primo fabulae autori hac in causa haud multum fidei adhibendum esse euincit, imo eum ipsum non plus sibi credi postulare, quam probat ex Iohannis Apocalypsi, docet. succedit caput III. §. XV. ad Epistolae Apocalypticae secundae, ad Ecclesiam Ephesinam datae analysin, sese accingit, eandemque I. Censuram doctrinae et fidei Christianae, II. Censuram uitae et morum contineri dicit, in priori parte, Nicolai 1) in obeundo munere constantiam et industriam, 2) pro ueritate zelum et doctrinae falsae auersationem 3) tolerantiam et patientiam in aduersis pro Religione Christiana, laudatam esse, in posteriori uero 1) amoris Christiani omissionem reprehensam 2) amoris pagani et dishonesti omissionem laudatam esse, declarat §. XVI. tertiae ad Ecclesiam Bergamenam epistolae analysin instituit, in quo similiter I. fidei, II. morum censuram obseruat, ubi, quid Balaami et Nicolitarum doctrina morum fuerit, fuse explicat, speciatim §. XVII. quid τὸ Φαγεῖν εἰδωλότυλα et πορνεῖσαι Nicolitarum seu Baa-litas

litiae haereleos sit, esse uidelicet epulas sacras et fornicationes paganorum, ex quibus omnibus §. XVIII. septem argumentis probat Irenaeum, eundemque scutos infeliciter haeresin Nicolaiticam excuspsisse §. XIX. Auctores ex parte consentientes, Victorinum scilicet Petauiensem, Ioh. Lightfootum, Ioh. Cocceium, Campegiū Vitrinam, Sal. uan Til, recenset, ultimo tandem loco §. XX. disputationis suae utilitatem demonstrat. Addidit appendicem, in qua ad declarationem Pfaffianam contra dissertat. auctoris de fidei iustificantis natura et fundamento, respondet.

Die 30. Octobr. de Probatione pertinentiarum Feudalium, Praeside GODOFR. LVDOV. MENCKEN, ICto, P. P. et ICtorum h. t. Decano (cuius superiori semestri iam cum honore mentio facta) pro Licentia summos in utroque Iure honores capessendi publice disceptauit GOTTLÖB ERNSTVS WERNERVIS, Dresdenis. I. V. Cand. et Advocatus iminatrikulatus. Continet ea Dissert. pl. 4. §. 31. Adiectum est Programma inuitatorium 2. pl. Proemium argumenti commendationem praemittit. §. 1. instituti rationem, §. 2. quid sint pertinentiae, expendit. §. 3. nihil uoce pertinentiarum comprehendendi monet, nisi quatenus pertinere fuerit probatum. §. 4. Ius constituendi pertinentias patribus familiae tribuit, § 5. et seq. modos tractat constituerendi pertinentias. Vbi primo de destinatione. §. 6. Docet, natura nullas dari pertinentias, quamuis interdum ex aliis circumstantiis tales praesumantur, quod exemplis e iure feudali petitis, legibus item et ratio.

rationibus confirmat. Vbi de mobilibus, et quando ea rebus feudalibus accensenda sint. §. 7. de molendinis pneumaticis et aquaticis: Illa in foro Sax. si palus molendini pneumatici, *die Mühlen-Säule*, solo cohaereat: haec uero tum demum, si bannatoria sint, pro immobilibus habenda esse censet. §. 8. Arbores, quae radices egerunt reguláriter ad feudum pertinere ait; quod tum securus se habere putatur, si seminaria arborum futurae uenditioni seruentur. §. 9. In genere ad feudum spectare, quicquid illi, ut pars, cohaeret. Id uero securus esse, si fructus a solo sint separati, quo pertinere ait ligna iam caesa, item *Wind-Falle*, *Lager-Holz* etc. quae haeredibus allodialibus merito cedant. §. 10. Iurisdictionem quoque fundo, non personae cohaesisse praesumit, si scilicet ei praedio cohaereat, eademque fuerit exercita. §. 11. Ius uenandi sub concessione feudi cum pertinentiis regulariter non contineri, docet, nisi praedio cohaereat, nec alteri in specie datum aut reseruatum fuerit. §. XII. De seruitutibus. Ubi distinguendum putat inter personales et reales; has quidem sine speciali concessione transire, non uero illas, arbitratur. §. XIII. et XIV. transit ad reliqua. §. XV. Defectum certarum legum in definiendis pertinentiis feudalibus arguit. Ubi de uulgato canone: beneficia principis latissime esse interpretanda. §. XVI. Ad modos probandi pertinentias feudales quoque referri consuetudinem. §. XVII. Generalem pertinentiarum denominationem non sufficere, sed specificam requiri probationem: §. XVIII. Ubi et per

per testes probatio admittatur, quorum duo iurati sufficient, maxime uicini et senes. §. XIX. Ex coniunctione sive adiunctione, quomodo pertinentiae probentur in feudalibus. §. XX. Famae quoque aliquam hic uim esse, sed non adeo magnam, nisi constans ea fuerit ac uniformis. §. XXI. Praesumtiones parum ad determinationem pertinentiarum feudali- um facere. Quod tamen limitatur, adiecto simul responso Facult. Iurid. §. XXII. atque declaratur ulterius. §. XXIII. Solam inuestituram sine speciali recognitione desuper facta, non sufficere hic. Quod declaratur. §. XXIV. Publicorum etiam Instrumen- torum quoad Dominum et Vasallum, magnam hic esse efficaciam. Quod in priuatis scripturis non aequae obtineat. Limitatur. §. XXV. Ad probandas maxime quoque conducere dinumeramenta, seu catalogos pertinentiarum feud. Cuiusmodi catalogum an mediante iurata specificatione Vasallus edere te- neatur, disquiritur, et affirmatur. §. XXVI. Ex pos- sessione coniuncta quandoque pertinentias colligi, si scilicet ante rem feudalem fuisse constet. §. XXVII. Bona praedio feudali iuncta, feudalia quoque prae- sumi, donec probetur contrarium. §. XXVIII. Solam coemtionem bonorum ad pertinentiarum feudal. probationem non sufficere, nisi alia destinationis ar- gumenta concurrant. §. XXIX. In finibus bono- rum feudalium nihil praesumi feudale, nisi in specie probetur. In dubiis iudicis arbitrio rem definiendam esse, §. XXX. Praescriptione triginta annorum ef- fici pertinentias feudales. §. XXXI. Vasallum aduer- sus

sus Dominum territorialem indistincte hic onus probandi subire, contra alium uero Dominum aut extraneum tum demum, si possessione ipse destituatur.  
 §. XXXII. Conclusio. Sequuntur responsa IV. argumentum praesens illustrantia.

### *Programma,*

Occasione huius Dissertationis editum a Praeside excellentissimo haec continet: Varias esse uocis *Castri* item *Castelli* significaciones, quod prolixo ostendit. In Iure feudali castrum sumi pro loco, qui cum uariis iuribus, emolumentis ac pertinentiis (*mit allen Ein- und Zugehoerungen*) confertur in feudum. Quod latius, ac, ut solet, erudite persequitur, ita, ut si memoratu digna recensere uellemus omnia, totum hoc programma transscribendum esset, quod uero non esse epitomatoris, facile animaduertes. Tandem uita candidati subiicitur,

Sunt qui ex indifferentistico aliquo principio id magno studio et fere unice agunt, ut diuini uerbi Ministris semper detrahant, nec religioni sibi ducunt, sanctos hos diuinae ueritatis et uoluntatis praecones una cum uera pietate expellere atque exterminare: sunt et alii, qui uideri uolunt, ac si tum maxime religio et pietas in suis uersaretur animis cum in religionis et uerae pietatis defensores inuehant et ministrorum ecclesiae uitia ubique crepant. Quod autem hoc hominum genus non leuem simplicium hominum animis ponat offensam a multis ecclesiae doctoribus saepius et fusius est ostensum. Quoniam autem hodie etiam et quidem sacris muneribus fun-

gentes aliquibus in locis sibi laudi ducant in piis uerbi  
DEI ministris licet alio affectu, studio nempe omnia  
ad suam mentem emendandi uitia quae uitia non sunt  
exprobare; motus est, ut ex sincero affectu et amore  
innocentiae iniquam hanc exprobationem refutet  
ac piorum innocentiam vindicet MENO NICOL.  
CARSTENS Lubecens. S.S. Th. Stud. Quum sub Prae-  
sidio Viri summi et Principis nostri temporis Theo-  
logi GOTTLIEB WERNSDORFFII. S. S. Theol.  
Doct. et Prof. Publ. Ordin. sui senioris, Consist. Ec-  
cles. Assessoris. aedis Paroch. Pastoris et Superintend.  
Generalis, die 1. Nou. disputationem haberet et uitia  
quaedam Clericis temere impacta dilueret ac abster-  
geret, Vitemb. Lit. uid. Gerdesiae cum dedicatione  
6. plagg.

Auctor in praemissa praefatione in genere de uitiis,  
sine quibus nemo nascitur, differit, nullumque non  
statum hierニックum iis laborare ostendit. Ad in-  
stitutum deinde suum proprius accedit, docens, mul-  
ta, praesertim ordini ecclesiastico, uitia tribui quae  
talia non sint, illudque fecisse D. Pfaffium cuius hy-  
potheses sua in dissertatione refutare instituit. Fe-  
cit hoc V. Thesibus, quarum singulas uberiorius, sub-  
iectis §§. explanavit. Thes. I. *uitium non esse in tra-*  
*denda Theologia terminos scholasticos uel metaphysi-*  
*cos adhibere afferit §. VI. §. I. de uoce terminus ex-*  
*ponit. §. II. et III. demonstrat, nec Lutherum cum*  
*Theologia scholastica terminos ueluti per anticam*  
*eiecisse, nec Philippum Melanchthonem per posti-*  
*cam iterum reduxisse, §. IV. de odio Nouaturienti-*  
um

um in Metaphysicam praeferunt Pfaffii, omnes Metaphysices hostes dicacitate uincentis differit. §. V. et VI. sobrium terminorum usum, eorundemque innocentiam uirorum grauissimorum, Chemnitii, Scherzeri testimonii, utilitate denique in disputationibus cum aduersariis, defendit, neque eos pietati nocere, sanctissimi Gerhardi exemplo, Scholas Metaphysicas Ienae aperientis, euincit. Thesin II. qua, *neque uitium esse argumenta sacra per causas, uel methodum causalem deducere dicit*, §§. VIII. illustrat. In Imo Pfaffii uerba, causalem methodum ridentis, tradit §. II. indicat, quos eo ipso scommate lacessuerit. §. III. ad methodi causalitatis defensionem sese accingit, et argumenta dicit 1) a natura et indele doctoris ecclesiae, quem oporteat esse διδαχὴν §. IV. 2) a scripturae exemplo §. V. 3) ipsius Pfaffii exemplo causarum campanam tinnientis, §. VI. 4) ab utilitate methodi §. VII. denique docet friuolum esse durum termino tum sonum obiicere, Pfaffianis saltet auribus grauem, §. VIII. Thesi III. *Vitium non esse emendationem intellectus emendationi uoluntatis praeponere afferit*, quam §§. XI. exponit, §. I. intellectum et uoluntatem definit. §. II. utriusque post lapsum corruptiōnem §. III. IV. et V. necessariam et intellectus et uoluntatis emendationem inculcat. §. VI. de emendationis ordine praecipit, atque negat contra Pfaffium a uoluntate intium fieri debere, quod §. VII. demon. strat. I. ex fanae Philosophiae et rationis consensu, Christianum simul Thomasium refutando. II. ex consensu ipsius sacrae scripturae, locis 1) ex Rom.

X. 14. 2) ex Tit I. u. 1. 3) Tim. II. 4. 4) ex conuersionis natura, nixus locis Act. XXVI. 18. Ephes. I. 18. Tit. II. 11. § VIII. III. ex Consensu praxeos Christi et Apostolorum ecclesiae nostrae, consensu item summorum Theologorum et ipsius antiquitatis §. IX. § XI. Pfaffium erroris sui ex tribus locis conuincit, eundem refutat et erroneam de haeresi practica sententiam exprobat. Thes. IV. *falsum esse, modestiam Theologicam diffnsum capitalem permittere posse*, docet, quam X. §§. diduxit §. I. monet modestiae uocabulum, ab obseruantia modi, modestiam dici, quam §. II. in moralem seu ethicam et spiritualem seu Theologicam distinguit. §. III. definitionem modestiae Theologicae tradit. §. IV. uirtutem recte eam dici, commonstrat. §. V. in eius subiectum, omnes scil. omnino homines esse, speciatim ecclesiae Doctores inquirit §. VI. obiectum modestiae excutit, esse uidelicet doctrinam fidei uel ceremoniarum aliasue res indifferentes. §. VII. Eius formam considerat, ubi monet pro erroris aduersarii ratione, nec in excessu nec in defectu peccandum esse, affirmsat tamen longe facilius in Doctore Ecclesiae nimium Zelum, quam nimiam lenitatem tolerari posse. §. VIII. spuriam esse modestiam, quae recensitis requisitis destituatur, docet. §. IX. probat modestiam cum refutatione hostium ueritatis bene stare posse. 1) ex ipso modestiae Theologicae natura. 2) quia scriptura etiam πρὸς ἐλεγχον data est, 3) Christi exemplo, 4) quia Paulus requirit ab Episcopo, ut contradicentes conuincat, et

illis

illis os obduret, §) ex praxi in V. T. Prophetarum, in N. Christi et Apostolorum. §. X. errorem Pfaffii, modestiam Theologicam dissensum facile permittere statuentis, aggreditur, ad obiectionemque ac si forte Pfaffius dissensum in rebus indifferentibus intelligent, respondet. Thes. V. docet, *Vitium non esse. Theologiam homileticam, ceu artis cuiusdam regulis includere, et textui iam explicato porismata dogmatica elenchtica aliasque subiungere quam XII. §§. explicuit, §. I. connectit cum Theogia polemica, de qua in antecedentibus Theologiam homileticam, §. II. III. et IV. nomen artis Theologiae homileticae tributum, vindicat, de eodemque fuse exponit, sacros autem sermones extra Cathedram ecclesiasticam, a concionibus stricte ita dictis distinguit. §. V. de rebus homiletiae. § VI. de gestibus e suggestu peroranti adhibendis, § VII. concionum necessitatem, a multis negatam, praecipit, §. VIII. Pfaffii sententiam affert duo carpentis, 1) regulas artis in sermone ecclesiastico obseruatas, 2) sermoni huic ecclesiastico porismata dogmatica elenchtica alia, subiungi solita, quorum prius § IX. et X. posterius uero, § XII. vindicat § denique XIII. recensitis quinque aliis erroribus a Pfaffio in discurso de Clericorum uitiiis, commissis, rem omnem finit.*

Die 2. Nouembr. Dissertationem inaugurelam Medicam de SYMPATHETICIS MORBORVM CVRATIONIBVS MEDICO RATIONALI INDIGNIS ATQUE ILLICITIS, *praefide MARTIN. GOTTHELEF LOESCHERO*, Ph. et M. D. Phys.

P. P. ordinario Med. Extra-Ord. etc. PRO GRADV  
DOCTORIS, *Auctor* IOANNES CAROLVS ACO-  
LVTHVS, Vratisl. Siles. publice proposuit. Vitemb.  
Lit. Gerdes. pl. 5  $\frac{1}{2}$ .

Prologus duplarem allegat causam, quibus  
Auctor de dicta materia dissertationem confri-  
bere commotus fuit, prima a damno, quod  
per curas sympatheticas Medicinae affricatur, de-  
sumpta est, altera huius thematis proponit utilita-  
tem, a defectu auctorum, qui hac de materia scrip-  
funt de promtam. Thes. I. Ne Medicus rationalis  
aliquid arte, quam exercet, et sua persona indignum  
committat, sobrie monet. "Exθεσις. Idem dejuero  
praeceptum ob maximam plurimorum huius seculi  
medicorum imperitiam negligi ostendit. Cum enim  
illi solummodo ueri mereantur Medici nomen, qui  
ratione atque experientia instructi, proximi prospic-  
ciunt sanitati clarum utique exinde esse, eosdem  
falsos et spurios merito dicendos, qui utroque uel  
utero de dictis destituuntur subsidio, quorum ulte-  
riorem dat descriptionem Illustris de BERGER, uer-  
bis hacce Exθεσι allegatis. Melius dehinc Medi-  
cum naturae consiliarium, quam ministrum indicat,  
una cum delineatione morum, qui genuinum secun-  
dum effatum Hippocratis Medicum decent. Natu-  
ram uero primum, per quam hic partium corporis  
humani dispositio intelligitur, quaeque morborum  
appellatur medicatrix a Medico intimius esse co-  
gnoscendam, si felici cum successu praxin exercere  
uelit, solide demonstrat. Cum enim morbus sit  
de-

decessio a statu naturali, plane impossibile esse, eundem absque corporis cognitione cognoscere et curare, in specie autem, ut Medicus cautus sit in praescribendis remediis et praesagiendo morbi exitu, nec soli urinae aut uno alteroue solum signo, fideliter monet. Thess. II. Commendat remediorum ratione atque experientia approbatorum usum repudiatis curationibus sympatheticis. *"Exthesis.* Idem magis illustrat explicans sententiam Asclepiadis asserentis, Medici esse officium, ut tuto, ut celeriter, ut iucundo curet; hoc etenim, cum omnium optimae conuenienti remediorum appropriatorum exhibitione impetrari possit, ipsae uero curationes, sympatheticae incertae, dubiae et periculosa sint, hinc ab iisdem merito abstinentum esse censet. Thes. III. Curationes sympatheticas, per methodum occulto atque inexplicabili modo morbos profligandi definit. *"Exthesis.* Quod per uocem sympatheticas, hic specialiter medicamenta quibus peculiaris quedam occulta uirtus ad distans etiam sese extendens inesse creditur, intelligantur, exponit, et cum magneti similes remediorum sympatheticorum uideantur operationes, imo interdum supra naturales, hinc easdem magneticas, magicas et per translationem uocari. Thes. IV. Medicamenta sympathetica infida, superstitiosa, absurdia, obscena, et Philosophiae naturali repugnantia appellat. *"Exthesis.* Haec remedia primum infida esse, experientia et testimoniis Autorum praecipue exemplo sic dicti pulueris sympathetici demonstrat, deinde etiam eadem infida

uocat, quia loco speratae sanitatis aliis morbis ansam praebent, superstitionis porro medicamenta sympathetica appellantur, dum viribus, ad id, quod prae-  
stare debent, naturalibus destituuntur. Absurda de-  
nique haec esse dicit, cum inter eadem et morbum,  
cui curando adhibentur, nulla detur connexio, atque  
ab illis aliquid, quod non habeant, desideretur.  
Obscena demum, quia talia saepius sunt, qualia  
nominare uerat uerecundia, atque a quibus animus  
honestus penitus abhorret. Philosophiae tandem  
naturali eadem repugnare, ex eo probat, quia haec  
in corpus morbosum agere non possunt, nullum  
enim inter haec medicamenta et subiectum mor-  
bosum fieri contactum, eaque, quae de contactu  
pulueris sympathetici beneficio lucis perhibentur  
mere fabulosa esse plurimis probat testimoniosis et  
rationibus. Thes. V. Curationes sympatheticas  
aegrotis periculosas et perniciofas esse, asserit. "Ex-  
egesis. Hasce curationes menti primum periculosas  
esse euincit, inducentes quippe superstitionem,  
quam cum magia illicita arctam habere cognatio-  
nem dicitur. Deinde easdem corpori nocere asse-  
ritur, dum usurpatiis remediis sympatheticis, tutio-  
ribus e contra et certioribus neglectis, opportunum  
medendi tempus praetermittitur. Non autem modo  
curationes sympatheticas periculosas, sed etiam  
perniciofas esse, exemplo grauiter vulnerati ita ut  
uasa quaedam maiora fuerint discissa, demonstrat.  
Si enim solummodo puluerem sympatheticum gla-  
dio inspergere uellemus, nullis aliis remediis stypti-  
cis

cis laesae parti applicatis, aegrum certo periturum demonstrat. Thes. VI. Curationes sympatheticas Medico rationali plane indignas atque illicitas esse afferit. *Ἐπιθετικός*. Dicta ueritati respondere ex eo docet, quia, curae sympathicae medici officio, quod in conuenienti legitimorum atque appropriatorum remediorum praescriptione consistere dictum est, repugnat. His subiungitur *ἀναλογίωσις*, antea dictorum ueritatem Syllogismo quadam tradens.

Die 13. Nouembr. Paralogismos ANT. VAN DALEN, quantum ad Praesidem oraculorum attinet, excusfit Praeses IOANNES FRIDERICVS SCHOMERVS Suer. Mecklenb. L. L. A. A. Mag. et Respondens IOANNES HENRICVS BREVHAN, Hamburgensis, S. S. Theol. Cultor, Vitemb. Lit. uiduae Gerdes. Plag. 2.

Constat Dissertatio §§. VIII. quarum I. Auctor promissi sui in Dissertatione de uero oraculorum Praeside, memor, se scilicet Dalenium in iis refutaturum esse, quae Iesuita *Baltus* praeteriit, postea quam deprehendit Baltum directe Fontanelli historiam oraculorum refutare, dicta autem scripturae ad quae Dalenius prouocauit, non attingere, promissis standum ratus hac ipsa Dissertatione, Dalenii, quae restabant dubia excutere instituit. §. II. III. et IV. In Dalenii indolem inferendi que rationem inquirit, eundemque sine methodo, sine *ἀναπτύξει*, sine constantia Empaectarum more cum ueritate ludentium, scribere, autorumque testi-

monia mutilate afferre, demonstrat, §. V. ad XI. Dalenii in tractatu de origine et progressu idolatriae, obiectiones, respondet. §. VI. alia Dalenii argumenta leuia illa et uix refutanda affert, §. VII. ad eiusdem XIV. obiectiones in dissertatione de oraculorum ethnicorum ueterum praeside, allatos, respondet. §. VIII. repetita uera sua sententia; quibusdam oraculis interdum praefuisse diabolum, et quid respondendum sit Pythiae ac uatibus inspirasse diabolum, dissertationi finem imponit.

Die 15. Nou. Ordinis Iuridici h. t. Decanus, CHRISTOPHORVS HENRICVS DE BERGER, Com. Palat. Caesar. Potent. Polon. Reg. ac Elector. Saxon. in summa Prouocationum Senatu Consiliar. Antecessor Curiae Prouinc. Consist. Eccles. Scabinat. et Iudicij Ducalis in Marchion. Infer. Lusat. Assessor, omnibus quorum refert e tabulis publicis significabat, quod auctoritate Caesarea, regia et electorali Rectore Magnifico Domino IOANNE HENRICO DE HEVCHER, Consiliario Aulae atque archiatro Regio Anatomes et Botanicae Prof. publico, Dno. GOTTLLOB ERNESTO WERNERO, Iuris utriusque Licentiato, causarumque in patria urbe dicendarum Patrono summi et Doctorales in utroque iure honores sint collati. In forma patente, Literis uiduae Gerdesiae.

Die 16. Nou. De Praesumtione masculini feudi, Praeside D. GODOFR. LVDOV. MENCKEN, Pandect. Prof. Publ. Collegiorum quae Vitembergae florent Iuridicorum, ut et Consistorii Ecclesiastici,  
nec

nec non Iudicij Provincialis in Marchionatu Lusatiae inferioris, Assessore, pro Licentia summos in utroque Iure honores ac priuilegia Doctoralia rite capessendi, publice disputanit CAROLVS CHRISTOPHORVS WAGNER, Zwickauiensis, Aduocatus Dresdensis. Lit. Gerdes. pl. 4 $\frac{1}{2}$ . cum programmate.

§. 1. In causas inquirit, quare in successione feudali, uel sola, uel praecipua Masculorum habetur ratio. §. 2. In dubio feudum, siquidem tale esse constet, potius proprium quam impro prium dici, tradit, atque rationibus forte obstantibus respondet. §. 3. 4. 5. 6. luculenter docet, feudum potius praesumi masculinum quam foemininum, id que textibus Iuris Longobardici pariter ac Aleman nici, imo et Saxonici communis confirmari, ostendit, §. 8. Eandem prae sumptionem feudi masculini moribus Germaniae ueteris confirmari, et (§. 9.) ad imperii non minus feuda pertinere, subiectis rationibus contendit. §. 10. et 11. Nec aliud in feudis ecclesiasticis obtinere propugnat, simulque dissentientes refellit. §. 12. Idem de feudo oblato asserit. §. 13. DD. citat, qui, quoqd feendum frandum cessare prae sumptionem feudi masculini, tradunt; A quibus tamen §. 14. dissentire uidetur, ad ductis etiam rationibus, §. 15. ad Text. in II. Feud. 104. prolixius respondet. §. 16. De feudo censuali idem iudicat, inque eo successionem foeminis regulariter denegat, simul a dissentientium obiecti nibus sententiam suam vindicans. §. 17. Eandem doctrinam de feudo emto fouet ac DD. aliter sen-

sentientibus respondet, in quo et §. 18. occupatur, ubi hanc suam opinionem etiam ad feudum, cui pactum de retrouendendo adiectum est, porrigit, eo tamen discrimine seruato, quod, si uendor intra tempus definitum legitime retroemat, pecunia restituta, pro feudali re non reputetur. § 19. De feudo pignoratitio agit, inque eo foeminam, quod ad substantiam feudi attinet, nihil acquirere statuit, quamvis durante reluitionis tempore id a quo quis herede, etiam foemina, retineri illud possit. Adeoque et hic regulam supra traditam obtinere infert, quam et (§. 20.) in feudo hereditario locum habere non dubitat, ac dissentientibus respondet. Idque (§. 20.) procedere ait, tametsi feudum non ab initio hereditarium, sed per pacta demum tale factum fuerit. Quod rationibus confirmat, simul dissentientibus respondens. §. 22. et 23. Ea recenset feuda, in quibus spem succedendi habere communiter dicantur foeminae; sed illud ius male utrobique iis tribui, planum facit. §. 24. Feudi solaris, *des Sonnen Lehns*, meminit, eiusque descriptionem uti apud ueteres obtinuisse fertur, commemorat. Solennia, sive ceremonias quae illi tribuuntur, ad fabulas refert. Vanam eorum operam censet, qui tale preedium uendant pro allodio. Ac Doctores non nullos, quos citat, in eo desudasse dolet, ut succedendi ius in feudo solari foeminis disputarent, §. 25. Regulae supra traditae rationem repetit, et finem dissertationi imponit.

Sequitur Programma, quod occasione iam iam  
memo-

memoratae disceptationis conscripsit t. t. Pro-Rector Academiae ac Ordinis ICTORUM Decanus, CHRISTOPHORVS HENRICVS Nob. Dom. DE BERGER Ictus, reliqua. In eo id agit, ut ostendat, successionem feudalem, Iure Sax. Elect. quando remotiores in linea collaterali cum proprio iure simultaneae inuestiturae in feudo succedunt, fieri non pro capitibus, sed pro stirpibus, atque adeo nepotem etiam ad successionem admittendum esse, prouti a se monstratum sit in Decis. Summ. Prouocat. Senat El. Sax. DXXXI. Id quod uero secus se habere ait, eō casū, quo inuestitura nomine collectio facta non est, quam in rem sententiam a Summ. Prou. Ind latam subiicit, tandemque de Vita Candidati sui exponit.

Die 17. Nou. cum cathedra gressibus SVMMI MENCKENII adhuc gemeret, ascendit in eam Vir cuius uestigia laudis ubique non pressa leuiter ad exigui praedicationem temporis sed fixa ad memoriam omnium sempiternam nempe Excellentissimus MARTINVS HASSEN moralium et ciuilium Professor publicus longe celeberrimus sub huius grani praesidio disputationem de *Pugna inter Rationem et Appetitum sensuum* Autor M. IOANNES IACOBVS TADDEL, Suerin. Mecklenb. S. S. Th Cultor summa cum laude defendit, qua pugna fortiter et feliciter pugnata effecit, ut in numerum hac in Academia Philosophiam docentium reciperetur. Epitomen disputationis eruditae si legere cupis hanc habe.

Inte-

Integrae Dissertationi PRAEFATIONEM Autor  
praemisit, in qua maximam hominis felicitatem exin-  
de succrescere asseruit, quando quis peruersum illum  
statum suarum in anima facultatum, et *αταξίαν* post  
lapsum naturalem probe cognoscit, eoque ipso com-  
moueri si patitur, ut ad dictamen rectae rationis hu-  
manos suos dirigat affectus. His explicatis, transi-  
tu facto, rationem methodi succincte proponit et sta-  
tim in SECTIONE I. de partibus litigantibus dis-  
crit. *N. in Genere*, duo in §. I. supponendo postulata,  
partim, quod in anima humana resideat ratio, do-  
minium et in hemispherio superiore, qua intellectum,  
quaque uoluntatem; et in inferiore, qua appetitum  
sensituum exercens, partim et hoc, quod propter  
arctissimum corporis animaeque nexum, altera ho-  
minis pars de alterius passionibus subinde partici-  
pet. In §. II. intellectus et uoluntatis naturam di-  
stinctius tradit, omnesque terminos, prout in Diss.  
illos intellectos uult Auctor, describit. *D. in Spe-  
cie, in Membro I.* agit de Ratione, ubi quoad Ono-  
matologiam ostendit: Rationis uocabulum esse  
homonymon, quod sumitur uel pro ratione summa  
directive, uel pro ratione intellectui quasi subor-  
dinata, et simul utriusque differentiam commonstrat  
in §. III. Quoad Pragmatologiam autem rationem  
illam considerat Auctor partim *absolute*, triplici ar-  
gumento, illius existentiam probando in §. IV. et es-  
sentiae perfectionem uel rectitudinem, etiam post  
lapsum superstitem, defendendo in §. V. et VI par-  
tim et *relatine*, prout illa cœu amica DEI ministra  
atque

atque uicaria, legem ipsius non tantum seruatam tenet, sed etiam subiectis sibi facultatibus, quod Iuris diuini est, dictitat, conf. §. VII. ubi et interni huius imperii existentia probatur, in §. VIII. et essentia istius in relatione ad intellectum et ad uoluntatem explicatius indigitatur. §. IX. In Membro II. Sistitur speciarim natura *appetitus sensitivi*, partim quatenus differt ab appetitu rationali §. X. partim etiam quatenus ipse uarie distinguitur. §. XI. quin et imprimis hoc, quod appetitus sensitivus in se rationi non opponatur, §. XII. et quod affectus in illo appetitu resideant, in se quidem indifferentes, moralitatis tamen capaces, §. XIII. Vnde, cum hi excitantur respectu iucundi mali, pessimumque euadunt, atque rebelles, oritur tunc *illa* (de qua in SECTIONE II. dicitur) *inter partes litigantes pugna*. Variis hac de pugna in genere distinctionibus traditis, remota aequiuocatione, Auctor pugnam inter rationem et app. sens. describit, §. I. analogiam inter pugnam hanc et bellum ciuale commonstrat, §. II. illam itidem sollicite et accurate distinguit ab ea, quae intercedit carnem inter et spiritum uid. §. III. pugnae inter rationem et app. sens. existentiam probat partim apodictice ex ipsa rei natura, §. IV. partim ex consensu ueterum Philosophorum, ut Aristotelis et Socratis, §. V. partim etiam exemplis peregregie rem declarantibus. §. VI. Sic et existentiam huius pugnae defendit contra Bernhardinum Silesium, ad ipsius argumenta in contrarium proleta formaliter respondendo. §. VII. Et Verba

non-

nonnulla Ciceronis, a quibusdam male contorta, sobrie explicando. §. VIII. Ipsam denique *naturam et essentiam* huius pugnae brevibus quidem atque succincte, neruose tamen ex Buddei Thæologia Morali enucleat auctor atque exponit, abrumpens hoc ipso dissertationis suæ filum, certis de causis SECTIONEM III. de Victoria rationi cedente, alii tempori reseruaturus.

Postero statim die, sub eiusd. auctoris praesidio, Resp. Dominus, IO. FRID. IVNACK, S.S. Theol. Stud. Decadem quandam Theorematum Philosophico-Moralium, publice uenitiatam defendit, differendo de rationis solio deturbatae restauratione. ubi Theorema I. Rationi humanae ius, animæ facultibus imperandi ex ordinatione diuina competere dicit. Theor. II. ipsum quoque imperandi exercitium rectum semper atque praeceptis iusti et honesti conformem esse, contendit. Theor. III. Rationem reginam a rebellibus affectibus solio suo saepius deturbari pronunciat. Theor. IV. Vitiosam Philautiam omnium rebellionum caput prodit. Theor. V. damnum ex ista affectuum rebellione certissimum indigitat. Theor. VI. Hominem naturali se conservandi ac emendandi obligatione teneri, inculcat, Theor. VII. restitutionem rationis solio deturbatae probat inde ac suadet. Theor. VIII. Modum restaurationis et generalem et specialem ostendit. Theor. IX. illa denique, quibus contra indomitos affectus opus est, arma tradit, et illos supprimendi remedia præscribit imprimis generalia; Specialibus ad Theor. X. relatis.

Die

Act  
Die 20. N.  
loboribus apu  
descenderunt  
CRISTIAN  
lophiae Pri  
Bijpendens  
Dulacensis  
politae doc  
Tyanene d  
damus: a  
Cump  
nenis m  
Gentiles  
quot diffe  
liminare  
philosophia  
Apollonius  
legibus in  
intelligant  
tum apud  
lae Italicae  
Pythag. §. 6  
de infinitis  
scipulis ob  
et fatis fec  
ter quos,  
nius Tyan  
§. I. V.  
notatur, g.  
IN R. L. R.

Die 20. Nou. Mensis uariis Magnorum uirorum laboribus apud nos foecundi in eruditum certamen descenderunt *Grauissimus Praeses ERNESTVS CHRISTIANVS SCHROEDERVS Logicae et Philosophiae Primae Professor Publicus ordinarius*, et *Respondens M. SIGISMUND. CHRIST KLOSE*, Durlacensis, Disputationis ad uentilandum propositae doctus Auctor, agit autem illa *de Apollonio Tyanene* de quo, quae nobis retulit, haec in Epitome damus: apud Vit. Röber. c. pl.

Cum propositum sit Auctori totam Apollonii Tyanenae magnae olim apud Christianos pariter ac Gentiles famae Philosophi uitam et res gestas aliquot dissertationibus comprehendere, in *Diff. I.* prae-eliminarem quasi praemisit, in qua de natura et indeole philosophiae Pythagoricae agit, cui deditus erat Apollonius, ut ea quae ex huius sectae statutis et legibus in historia Apollonii occurrunt, eo melius intelligantur. §. 1. et 2. agit de uariis Philosophorum apud Graecos sectis. §. 3. et 4. de auctore Schola Italicae Pythagora. §. 5. de dogmatibus Philos. Pythag. §. 6. de methodo docendi Pythagoraea §. 7. de institutis ac praeceptis quae Pythagoras suis discipulis obseruanda praescripsit. §. 8. de celebritate et fatis sectae Pythag. item de claris Pythagoreis inter quos. §. 9. reliquis omnibus antefertur Apollonius Tyanensis.

### *Diff. II.*

§. 1. Varios esse in Hist. Phil. Apollonios celebres notatur, §. 2. qua ratione ab his omnibus sit distin-

IN R. I. H. DE HEVCHER.

C

guen-

guendus Tyanensis ostenditur §. 3. et 4. uaria uariorum de hoc Philosopho iudicia. §. 5. de iis qui ante Philostratum eius uitam descripsere. §. 6. de Philostrati LL. VIII. de uita Apollonii §. 7. 8. et 9. de fide et auctoritate Philostrati in hac uitae Apollonii descriptione, iuxta diuersa eruditorum iudicia.

*Diff. III.*

Recensentur ii, qui post Philostratum de Apoll. Tyan. scripsere. §. 1. Nicomochus ac Tuscius Victorianus. §. 2. de causis crescentis indies famae et auctoritatis Apollonii, §. 3. de Hieroclis Philalethe. §. 4. quinam Hieroclem ex PP. reformatum ostenditur et quidem α) Lactantius. §. 5. β) Eusebius. §. 6. de Soterichi uita Apoll. §. 7. de Vopisco. §. 8. Honorifica quorundam PP. Eccl. de Apoll. Tyan. iudicia. §. 9. recentiorum de Apollonio Tyanensi scripta.

Die 23. Nou. SAMVEL FRIDERICVS BVCHE-RVS, Antiquit. Prof. Publ. habuit Dissertationem XII. *Antiquitatum Passionalium OSCULA VETERVM ET IVDÆ STRICTIM examinantem, Respondente CHRIST. GOTTLIEB GLOECKNERO,* SS. Theol. Stud. Schwarzenb. Misn.

Auctor *partem Antiquitatum passion. primam X. dissertationibus comprehensam Academicis, ad finem perduxit, et, quia labor iste ab utilitate, iucunditate, obseruationibus, non ubique obuiis, mirum in modum se commendauit, reliquas sex Dissertationes Passionales et Antiquitates Euangelicas ac Epistolicas, proxime diuulgandas, promisit. Praesens*

sens disputatio complectitur Partis Scundae Cap. II.  
 et III. Capite I. de osculo in genere praeter alia, no-  
 tatur §. 1. κύσαι, κύσσαι, προσκυνεῖν, küssen a ܦܶܫܲܳ,  
 Belgicum een Söhnken a σάινεν, basium a ܸܶܲܰܳ,  
 habere originem, נִשְׁקָה μελαΦορικῶς designare  
 mortem placidissimam, Φίλημα improprie colum-  
 bis tribui, §. 3. osculum Cant. I. συμβολικῶς  
 connotare amorem intimum האבה אַבִיּוֹנָה,  
 תְּשִׁקָּה uehementissimum desiderium γαμεῖσθαι,  
 ab Hebr. חֵם, feruere, incalescere, עַרְעַת, γυאַשְׁנֵה,  
 χάρειν δָּבָרָיְךָ suauissimas ueterum inferre consuetu-  
 dines, in Antiquit selectis Bibl. p. 18. et in Anti-  
 quit. Selectis de Velat. Hebr. ac Graec. feminis fu-  
 sius expositas, §. 4. et 5. commemorant osculum  
 magnificentiae, Φίλημα βασιλικὸν, osculum ho-  
 magii et gladii. §. 6. adorationem purpurae, ma-  
 xime COGNATORVM apud Persas, §. 7. osculum  
 compitorum, discessus, propinquitatis, §. 8. oscu-  
 lum pacis, reconciliationis, benevolentiae. §. 9.  
 osculum coniugii, §. 10. osculum lascivum, hypo-  
 criticum, idololatricum, καζָא גָּלְתִּיםָא, διὰ τῶν  
 δακύλων, §. 11. submonet auctor, Chaldaeos, Sy-  
 ros, Sabaeos, Aegyptios, alias olim manus uersus  
 solem, lunam, stellas eleuasse, et retractas exoscu-  
 latos esse, Iob. XXXI. 26. 27. Osterman. diss. de  
 Astrolatria. §. 12. originem deosculationis pedum  
 P. R. a gentilium superstitione deducit. Cap. III. de  
 osculo Iudee §. 1. formulas δοκιμδέσθαι, δικαι-  
 ḡσθαι, ἐξαιτεῖσθαι, παράδοσις τῷ ὑπηρέτῃ ex iure,  
 partim Attico, partim Hebraeorum repetit. §. 2.

emphasim uocis καλαφιλεῖν euoluit. Dissertationi auctor adnexit quatuor Corollaria occasione a controversiis, quas *doctores quidam*, orientalis literaturae prorsus ignari, mouerant, desumta. In primo statuit, τὸ, בְּתִי legendum esse bottim, quia 1. singularis iuxta ἀναλογίαν Grammat. sit בָּת ab infinitiu nominascente בָּת, uel בָּת 2) Syrus cum Chaldaeis habent uocem et בָּת diuersorum pl. 3) בָּת pluraliter, ui ἀναλογίας Grammat. sonaret בְּתִי, non בְּתִים, atque sic 4) Syncopen contra Grammaticem fingere, ac si pro בְּתִים ponatur בְּתִי, non sit necesse, 5) punctum omittere, tanquam superuacaneum, atque adeo scripturam emendare sit periculosem, 6) uel tyroni innuduerit, nomina a uerbis geminatis deriuata, uti בָּת a בָּתָה, uoce crescente, recipere dagesch forte, et tum Cholem abire uel in Catubh, 7) non αὐτὸς ἐΦα, auctoritas Grammaticorum, norma esse debeat Grammaticae, sed ipsa ἀναλογία Grammatices. In secundo, cholem sine fulcro uocalem paruam esse adfirmat. In Tertio et Quarto antiquitatem ac naturam declinationum Hebr. contra idiotas quosdam accuratissime et solide defendit, quem in finem nouissime in lucem emisit *Thesaurum Orientis*, sive *Compendiosam et facillem Methodum Linguarum Hebr. Chald. Targ. Talmud. Rabb. Syr. Samarit. Arab. Pers. et unpartheyische Gedancken uon der neuen Methode in Oriental. Sprachen etc. Francof. et Lips. 1725.*

Die

Die Nouembris 25. Dissertationem Inauguralēm, quae tradit curam grauidarum et puerparū, sub Praesidio CHRISTIANI VATERI, Ph. et M. D. P. P. et Archiatr. Anhalt. pro Licentia habuit IOANNES GODOFREDVS HAENDLERVS, Bischoffswerd. Misn.

Prooemium, enumeratis in genere, quae grauidas comitantur, mutationibus, maxime difficilem et periculosam illarum medelam esse, docet. Tota uero Dissertatione duobus constat capitibus; primi itaque capitī contenta enodare operae pretium, agit uero illud in specie de cura grauidarum, monetque Thesis huius 1. ut grauidae accuratam diaetae habeant rationem. Thes. 2. Commendat grauidis animi tranquillitatem, docetque omnem perturbationem quam diligentissime esse fugiendam Thes. 3. Hortatur grauidas, ut omnes motus fortiores, siue nimia fiant expansione uel constrictione sedulo uitent. Thes. 4. Aerem temperatum atque alimenta congrua feligenda esse, suadet. Thes. 5. Affert cautelas grauidis circa usum balneorum et coitus obseruandas. Thes. 6. Enumerat mala grauidis familiaria. Thes. 7. Nauseae et uomitus in grauidis causam, indolem, diagnosin et medelam conuenientem proponit. Thes. 8. Quid in cura diarrhoeae, dysenteriae et cholerae sit agendum, exponit. Thes. 9. Aluum in grauidis adstrictam, remotis causis originalibus, non purgantibus sed lubricantibus et lenioribus digestiuis aperiendam esse, demonstrat. Thes. 10. Picae et malaciae, quae

grauidas saepius afficiunt, causam et medelam tradit. Thes. 1. Colicam et passionem hystericam grauidis minus familiaria esse mala perhibet; Si tamen contingat, easdem ob uictus errorem aut alias causas in dictos incidere morbos, quale sit consilium capiendum, explicat. Thes. 12. Vnde dolores capitis, dentium, lumborum et coxendicuum oriantur, et qua ratione hisce mederi conueniat, ob oculos ponit. Thes. 13. 14. 15. et 16. Qua methodo praegnantum tussis, dysuria, uarices, et haemorrhagiae curari debeant, exponit. Thes. 17. Medicum salubribus praexceptis instruit, quibus in nimis tempestiuia atque insolita aquarum in grauidis profusione uti conuenit. Thes. 18. De causis et signis antecedentibus abortus, ac qua ratione, iste praecauendus, differit. Thes. 19. Agit de reliquis morbis, et quid, si grauidas afficiant, faciendum sit, enucleat; praeterea, in causam, signa et medelam molae inquirit, et sic caput primum concludit.

Caput II. De cura parturientium et puerparum agit. Thes. huius 1. monet, ut diligenter attendamus, an uere legitimum partus tempus adsit, ne aliquid intempestiuie moliamur, uel opportunum partum promouendi tempus moram nectendo prætermittamus. Thes. 2. ut hoc rite fieri possit a Medico atque obstetricie exactam signorum partum antecedentium notitiam desiderat. Thes. 3. Requirit, ut et parturiens et obstetrix omnia, quae partum facilitant, sedulo obseruent. Thes. 4. Qua ratione foetu excluso secundinarum excretio sit

sit promouenda, docet. Thes. 5. Cautelas in me-  
dium affert, quas in partu difficii culpa matris ob-  
seruare conuenit. Thes. 6. 7. et 8. Multas pariter  
proponunt cautelas, quas memori tenere animo  
decet, si ob magnitudinem foetus aut gemellorum  
praesentiam, uel anomalum foetus situm, partus  
reddatur difficilis. Thes. 9. in genere curam et  
uictus rationem puerperarum post partum pertra-  
ctat. Thes. 10. Symptomata puerperis familiaria,  
inter quae primo numerandos loco dolores post  
partum afferit, qui germanice *die Nach-Wehen* di-  
cuntur, una cum cura illorum decenti recenset.  
Thes. 11. Qua methodo fluxus lochiorum suppres-  
sus promouendus et Thes. 12. qua ratione nimius  
illorum fluxus sistendus sit, praescribit. Thes. 13.  
Diarrhoeae, Thes. 14. febris lacteae, Thes. 15. fe-  
brium continuarum, et Thes. 16. Phrenitidis et  
conuulsionum in puerperis curam tradunt decen-  
tem. Thes. 17. Quibus medicamentis, intume-  
scentia abdominis, quae haud raro puerperas diue-  
xat, sit dissipanda, monstrat. Thes. 18. Qua cura  
in urinae incontinentia deceat uti, indicat. Thes. 19.  
Methodum tradit prolapsum uaginae uterinae cu-  
randi. Thes. 20. Quomodo et quibus in lactis  
defectu huius secretio promouenda et Thes. 21. e  
contra quomodo et quibus lactis abundantia dimi-  
nuenda, ostendunt. Thes. 22. et ultima huius dis-  
sertationis, mentionem facit fissurae et duritiei pa-  
pillarum in mammis, atque ad horum morborum  
curam rite peragendam, praemissis antiscorbuticis

alterantibus atque euacuantibus, remedia externa balsamica atque exsiccantia laudat.

Die 26. Nou. Celeberrimus Medicorum Ordo Nobilissimi atque Experientissimi Domini IOAN. CAROLI ACOLVTHI, Wratislau. Siles. honoribus summis in arte medica impetratis carmine Alcaico litabat, cuius Carminis hoc exemplum habe.

Antiqua uatum Phyllirium cohors  
Chirona finxit progeniem Deum,  
Terrae quod herbas primus, Artem  
Per Medicam, docuit salubres.

Diuiniore gaudet origine  
Donata uera mens sapientia,  
Quamque, igneo motam uigore,  
Altius extulit ars magistra.

Siluas uirentes Phyllirides colens,  
Rimando plantas mentis acumine,  
Praestantia nulli secundus  
Extitit is Medicus suorum.

Quem fama uiuax ad studium rapit,  
Immensus illum non retrahat labor.  
Natura nam nauos requirit,  
His adytique uiam recludit.

A rege quondam Thessaliae pio  
Centaurus, aequi iustitiaeque amans,  
Accitus est, cur? paedagogus  
Traditus hic tenero est Achilli.

Quod-

Quoduis per aevum nobilibus sua  
Virtutibus laus, et pretium, manet.

Doctrina praefat, quo sagaces  
Principibus placeant ministri.

Armatus arcu, fingitur hic Senex,  
Translatus inter sidera lucida,  
Ne morte saeuia magna clari  
Gloria forte uiri periret.

Sic laude dignum Musa uetat mori,  
Vitamque dat divina scientia  
Mortalibus, famamque seruat  
Post cineres etiam perennem.

Quae callet artes ingenuas, TIBI  
Haec mens uidetur coelitus indita,  
Qua libero semper colebas  
Nos, ACOLVTHE sequax, amore.

Multa latenter rebus in intimis  
Industria uim nauiter eruis,  
Atque in salubres uertis usus,  
Qui Medicum faciunt peritum.

Nec TE gefellit continuus labor,  
Dum laeta Nostro praecipit Ordini,  
Has intuens dotes, Hygea,  
Ut TIBI praemia conferamus.

Nunc TE manebunt commoda, quae meres,  
Nec fama deerit Nominis, aut decus  
Virtute dignum. Nos proinde  
MENTE. MANV. TIBI. GRATVLA-  
MVR. Die

Die 29. Nou. Observations forenses ex materia de pactis dotalibus aliisque iuris capitibus praeside IO. BALTHASARE WERNHERO, ICto, Potentissimo Pol. Regi et Elect. Sax. a Consiliis Aulae atque Iustitiae, Ordinario et Decret. P. P. etc. pro consequendis summis in utroque iure honoribus et priuilegiis Doctoralibus proposuit IO. CHRISTOPHORVS KLETTIVS, Lit. uiduae Gerdes. pl. 5.

*Obs. I.*

Pacta dotalia, quae per modum contractus sunt, testamentum quidem non uero alienationem inter uiuos impediunt.

*Obs. II.*

Pacta dotalia, in uim ultimae uoluntatis inita, possunt ab uno coniugum, altero inuito reuocari, et si ante nuptias condita sint.

*Obs. III.*

Quando ex contextu pactorum dotalium liquet, uoluisse pacientes inter uiuos disponere, illa in uim contractus ualent, et si successionis et heredum mentio facta sit.

*Obs. IV.*

Quamuis coniuges, in tabulis dotalitiis, in uim ultimae uoluntatis initis, se inuicem heredes instuant, tamen quinque testes sufficient.

*Obs. V.*

Pacta dotalia, in uim ultimae uoluntatis inita, ab alterutro coniugum, altero inscio, uel inuito, pro lubitu mutari queunt.

*Obs. VI.*

*Obs. VI.*

Ius coquendi et uendendi cereuismam solo non  
usu amittitur.

*Obs. VII.*

Poena 100. florenorum illis, qui ius cereuismam  
usurpat, non aliter dictatur, quam si com-  
minatio praecesserit.

*Obs. VIII.*

Vinum in proprio fundo natum, regulariter a  
quouis libere uendi potest.

*Obs. IX.*

In causis summarii, etiam post responsionem ad  
libellum, delationi iurisiurandi locus est.

*Obs. X.*

Per lapsum quinquennii, ab ultimo inquisitionis  
iudicialis actu, adulteris praescribitur.

*Obs. XI.*

Exceptio spolii locum habet, quamuis spoliatus  
per annum tacuerit.

*Obs. XII.*

Qui expensas liquidas ex re iudicata alteri debet,  
ante earum restitutionem in iudicio non admitti-  
tur, et si ex alia causa illae debeantur.

*Obs. XIII.*

Contra decretum Interimisticum in causa ali-  
mentorum, remedio suspensiuo locus haud est.

*Obs. XIV.*

Si leuterans, intra fatale, terminum prosecutio-  
nis praefigi petiit, leuteratio deserta haud est, et si  
sportulas pro emittenda citatione, soluere iussus non  
paruerit.

*Obs. XV.*

## Obs. XV.

Spatium sex mensium, intra quod actio redhibitoria moueri debet statim a tempore contractus incipit.

## Obs. XVI.

Quando actor, qui aduersus sententiam, qua actio reiecta, Leuteratione usus, declaratoriam, prouti instituta, obtinuit, contra hanc denuo leuerat, est leuteratio leuterationis, eaque inadmissibilis.

## Obs. XVII.

Verba pacti: *dass die Triften beyderseits gemein seyn sollen*, mutuam seruitutem non inferunt.

## Obs. XVIII.

Beneficio restitutionis in integrum etiam in possessorio summarissimo locus est.

## Obs. XIX.

Ei, qui in publicationem sententiae, ad certum diem, consensit, decendum non nisi hoc elapso, currit, quacunque demum hora aduersario illa facta sit.

## Obs. XX.

Legatum a rustico, coram paucioribus, quam quinque testibus relictum non ualet.

## Obs. XXI.

Quando actor ad excludendum reum a possessione praedii, uel iuris alicuius, se fundat *in der alleinigen possess*, libellus tanquam ineptus reiicitur.

## Obs. XXII.

Sola indicia, licet grauissima, commissi adulterii, ad diuortium haud sufficiunt.

## Obs.

*Obs. XXIII.*

Annuae praestationes non sigillatim praescribi debent, sed una est earum praescriptio.

*Obs. XXIV.*

Iure communi appellatio non est deserta, si appellans terminum eius iustificandae iusto tempore petierit, et si hic a iudice postea intra unum I. plures annos praefixus non fuerit.

*Obs. XXV.*

Quando incertum, uter ex duobus prior licitus sit, subhastatio de nouo fieri debet.

Die 5. Decembr. M DCC XXIII. cadauer militis, fluxu alui cruento, in hemiplexiam terminato, defuncti, in Theatro Anatomico apertum est, in quo polypus non tantum cordis in arteria pulmonali notabilis obseruatus est, sed etiam hepatis pregrandis, illudque totum, quantum fuit, in abscessum enormem mutatum, ita ut pondere suo, diaphragma uersus thoracem urgendo, huius cauitatem adeo angustam redderet, ut lobus pulmonis, ad superiora protrusus ac costis connatus, ipsumque cor ad sinistrum latus depresso, liberum motum exercere non valuerit. Vir tamen nunquam, dum in uiuis esset, de asthmate conquestus est, sed durissimos labores suscepit, uti hoc pluribus exposuit in Programmate ad Anatomiam publicam d. XXVII. Ian. M DCC XXIV. edito, D. ABRAHAMVS VATER, P. P. Anat. et Botan. Substitut.

Die 8. Dec. Tertia uice pro cathedra telam algebraicam, quam sub moderamine Cel. HASII, P. P. Ord.

Ord. pertexendam cooperat, continuauit M. CHRIST. MARTINI, Vratisl. Sil. dum Pithometriac Theoriam Nouam Algebrae ope erutam ac perfectam eiusque Part. III. ceu promisit, et addidit et absoluit. Tradit ea solutionem Problematis de dimensione doliorum non plenorum, quorum axis Horizonti parallelus, eiusque instantiam alteram, quippe cuius primam in Diff. II. Part. II. iam tractarat.

Praemittit solutiones duas, alteram Hartmanni Bayeri in Conometria Mauritiana, alteram Keppleri, utramque falsam, posteriorem demonstratione prorsus uacuam, luculenter explanat. Veriorem solutionem adiungit, adhibita praeparatione methodica, elementa genethica corporis doliaris tanquam prismata infinite parua concipiendo, adeoque ad figuram determinandam uarias algebraicas definitiones affert. In suppositione curuatura dolii lineas offendit quarti ordinis, uel curuam tertii ordinis, sed definitionem huius curuae integrationem respuere, ad nullam instantiam expediundam quid facere, ostendit. Progreditur itaque ad suppositionem curuaturae ellipticae, formulasque resultantes producit, ut appareat, Semidiometris Ventris et fundi existentibus iisdem contenta horum liquorum esse ut altitudines doliorum, illustrat simul regulam illam exemplo particulari, et resultans prodit paulo minus Keppleriano, ipsaque ueritate paulo maius, Bayerianam u. soluendi methodum enormiter a uero recedentem, ad oculum demonstrat. Pergit per digressionis modum ad eum casum, ubi elemen-

mentum corporis quaesiti est area ellipseos truncatae, uiamque eum soluendi algebra rursus infinite aestimabili euincit, sed formulam neutiquam integrabilem deducit, ac problema proponit indissolubile, ob quadrature circuli in terminis finitis absolutae ignorationem. Tandem specimen dat, quomodo ad approximationem aliquam licitam peruenire quis possit, eamque praxin prolixorem licet et tardiosam eo tamen ipso non refugiendam putauit, ne imperfectione aliqua laborare uideatur tractatio. Denique cumulate dictorum, calculoque signis et uniuersalibus et particularibus prolixius deductorum illustrationem annexit in tabula dupli. Exhibit earum prima Dimensionem Doliorum integrorum in proportione Semidiam. fundi -- 10, ad Semidiam. Ventris -- 11d. usque ad 15. quoad Altitud. -- 30d, 35d, 40d. Altera periucundo aspectu in suppositione Dolii Semipleni, cuius Semidiamaeter fundi -- 10d. Ventris -- 11d. Altit. -- 40d ostendit areas resultantes ad uerum uel approximantes, uel ab eodem discedentes comparatione Hypothesium in curuatura parabolica atque elliptica instituta, quae producta geometricis dimetiendi modis consentanea arbitrio lectoris relinquuntur uel ut eadem ad mensuras uulgares reducat, uel imitatione facta secundum alias proportiones similes ordine tabulas construat.

Die 14. Decembris Dissertatio Pathologico-Medica Prima de ORIGINE MORBORVM, AD FELICITER CITO ET TVTO CVRANDVM, rite  
PER.

PERQVIRENDA PENITVSQUE EXPISCANDA,  
a Praeside CHR STIANO GODOFREDO STEN-  
TZELIO, Tergauensi Philosophiae et Medicinae  
Doctore, ac Practico Vitembergensi, Respondente  
IOANNE AMADE FRIDERICO SARTORE,  
Techn. Siles. Med. Candidato, publicae eruditorum  
disceptationi exposita fuit, Vitemb. Lit. Gerdes. pl. 8.

Tota haecce dissertatio e uiginti constat capitibus,  
quorum primum in demonstranda Medicinae cer-  
titudine, ac delineandis Idiotarum Medicorum mo-  
ribus, quorum culpa ars salutaris incerta dicitur, est  
occupatum. II. Genuini et docti requisita Medici  
recenset, quae omnia in exacta rerum ad Medicinam  
pertinentium cognitione consistere, demonstrat;  
cum uero haec admodum difficultis sit, ad eandem  
imperrandam praecipue solers docileque ingenium  
et limatum politumque iudicium ac rectam et con-  
uenientem utriusque a teneris culturam requiri, plu-  
ribus iudicat argumentis. III. Methodum in ori-  
ginalis cognitione morbi atque appropriatorum  
praescriptione morborum consistentem commendat,  
qua genuinus Medicus se a Medicastris distinguere  
possit morbumque originalem eundem dicit esse; a  
quo primum sanitas labefactata non aliud pro ori-  
gine morbum agnoscit, sed causam in parte affecta  
genitam habet, ac quem uaria symptomata nunc  
uehementiora nunc mitiora comitantur et sequun-  
tur ab eo dependentia, adeo ut perseverante illo haec  
etiam simul aegrotum diuexent, illo uero sublato,  
simul abeant et desinant. IV, Morbi sympathetici  
et

et secundarii ab originali dependentis tradit definitionem, duplaremque ejus allegat causam partim a peccantis communicatione materiae, partim a nervosarum consensu fibrarum deriuandam; posterioris rationem modi simul reddit, eandemque ab octauo seu uago nervorum omnibus ferme corporis partibus surculis suis prospiciente deducit. V. Dictam confirmat sententiam e consensu tam uicinarum quam remotiorum partium, quae pro uariis et animae et corporis passionibus uariae inter se mutuo commotae, mala et bona communicat, ut in paralysi, passione hysterica, aliisque morbis animaduerte-re liceat. VI. Idem magis illustrat exemplo uomitus Sympatheticus, a passione Colica nephridite uel inflammatione lienis originem trahentis, monetque sedulo ut in huius modo cura affectus ad primariam morbi sedem respiciat, alias omnem ejus laborem frustraneum futurum. VII. Qua ratione morbi secundarii per morbificae communicationem materiae generentur, ob oculos ponit, huiusque rei cognitionem si rite in praxi obseruetur, multum tam ad curandos, quam praeseruandos morbos conferre, multis demonstratur exemplis. VIII. Cautelas sequentes circa remediorum propinationem obseruandas dictis de morbi originalis expiscatione praeceptis adiungit. 1) Non esse fidendum panaceaies 2) remedia, morbi origini conuenientia feligenda 3) simplicia praecipue usurpanda 4) nunc mitiora, nunc fortiora pro morbi conditione adhibenda 5) talia ordinanda, quae non opus habent

IN R. I. H. DE HEVCHER.

D

mu-

mutatione. IX. Variam esse febrium originem ea uincit, uariasque de continuorum essentia febrium, de quibus hocce capite in specie agitur, examinans eandem in turbato sanguinis motu consistere docet; cum uero multae et uariae sint causae sanguinis peruerentes circulum hinc curam iisdem accommodandam et nunc emetica uel purgantia, nunc refregerantia atque alimenta euchiyma, nunc aperientia et resoluentia, nunc oleosa et balsamica aliaque morbi origini adaequata esse adhibenda bene monet. X. Febrium exanthematicarum curam a contagioso prouenientium miasmate, pro huius conditione esse uariandam, et nunc remedia resoluentia, nunc astringentia, modoque temperata in usum uocare, suadet. XI. Solum Chine puluerem in febribus intermittentibus quae a cruditatibus biliosis, uel bittuitosis et uiscidis, aut quae ab alio dependent morbo, pariter specifica Strobelbergeri ceu mera terrea hic non conuenire probat, sic quoque, quando emetica et purgantia hic conducant et quando noceant eleganti ab oculos ponit obseruatione, sedulo insuper monens, ut Medicus tam in febrium, quam aliorum morborum cura, naturalem aegroti ad secretiones protensionem examinet. XII. Ad Tabis transit curam et quae 1) in Tabe a debilitate uentriculi 2) a nimia saliuae profusione, 3) a morbo cefophagico, 4) a uermibus et cruditati primarum viarum, 5) a bilis corruptione atque obstructione mensenterii, 6) a tenuis abundantia salis, 7) a plethora, 8) a felium consuetudine, 9) a fibrarum rigiditate,

cate, 10) a spiritu uini, 11) a nerui punctura, 12) a hirudine deglutita, 13) a mensium obstructione, 14) a uiscerum scirrho et corruptione. 15) a dysenteria, Lienteria, Colica, etc. conueniant, in apricum deducit. XIII. In Cachexia ceu morbo maxime uniuersali, praecipue expendendam esse ait, an primaria huius causa, quam maxime ab auctori- bus confundi docet, a mala partium solidarum, uel fluidarum dispositione sit deriuanda; qua perspecta, respiciendo simul ad causas huius efficientes, curam ad huius extirpationem dirigendam esse, pronunciar. XIV. Ioteri quem ab extricatione partium biliosarum ex contextu sanguinis deriuat, triplicem consti- tuit speciem, nimirum flauum, nigrum et album si- mul affirmans male causam illius a laesione hepatis deduci, confundendo quippe effectum cum causa morbi asserit, deinde etiam in Itero febrim sequen- te non ad dies sed ad uires esse respiciendum. XV. Auctores multum a uero aberrasse, uaria scorbuto eaque cum morbi essentia minus conuenientia no- mina imponentes exponit, longe tamen grauiorem eorum esse errorem, qui sic dicta specifica spleneti- ca uel spiritum antiscorbuticum Michaelis, aut her- bam Britannicam Galeni contra omnem sufficere scorbutum perhibent, cum varia non modo sit scor- buti origo, sed triplex etiam eiusdem detur species, pro cuius uaria indole ipsa uarianda cura, si ean- dem felici cum successu absoluere uelimus. XVI. Plicam Polonicam scorbuti esse speciem, atque ab eodem per capillorum distingui complicationem in-

nuit, duplaremque praecipue illius esse originem eamque uel internam, uel externam cui etiam deinde curam adaptare conueniat, demonstrat, una cum refutatione sententiae illorum cui plicatiam ad omnis curam plicae absoluendam commendant. XVII. In curanda Elephantia si quae solis primum Ägyptiis nota atque endemia fuit, medicamenta uiperina non sufficere ex multiplici huius morbi origine, atque ipsa experientia demonstrat. XVIII. Venereae medelam huius pertractat, ubi primum in causam huius inquirit, quam non semper ab acido esse deriuandam a salubri acidorum huc adhibitorum usu demonstrat, sic pariter affirmat mercurium non alcalicae esse naturae, multo minus eundem ad omnem luem uenereum exterminandam sufficere, imo externum huius usum ualde noxiun esse; hinc huius loco mitiora, diaploretica, laxantia, aliaque origini huius morbi adaequata commendat. XIX. In scabie nunc remedia externa et topica si ab externis orta fuerit causis, nunc interna caccohyiam corrigentia, si origo huius ab impuritatibus sanguinis usurpanda esse dictat. XX. Arthritidis causam materialem non in solo sale neutrō neque sale alcalico tantum, neque in solo acido, ac cruditatibus biliosis esse quaerendam ex uaria doloris et originis constitutione euincere conatur, sic pariter Venerem, Iram et Bacchum ad constituendum causarum occasionalium catalogum non sufficere, sed dictum morbum uariis aliis modis excitari, quos utique sedulo annotandos esse censet, adductis probat obseruationibus.

nibus. His cautelaedemum quaedam adduntur, quarum prima specificis his non esse promiscue fidentum, 2) a topicis abstinendum, 3) nec ipsa laxantia semper in hoc prodesse morbo. Sic tandem Auctor hancce concludit dissertationem, promittens proxima occasione reliquas tres huius tractatus partes, si Deus eidem uitam et sanitatem concesserit, euulgandi in quibus totam ulterius Pathologiam specialem, methodo hactenus explicata pertractabit.

Die 3. Decembr. de liberorum et militum ob defectum consensus Parentum et Chiliarchiae Nuptiarum nullitate, Praeside GODOFR. LVDOVICO MENCKEN, I<sup>Cto</sup>, Collegiorum Iuridicor. quae Vitembergae florent, pariterque Iudicij Ducalis in Marchionatu Lusat. inferior. Assessore, publice disputauit IOAN. CHRISTOPH. HACHENBERGER, Freibergens. Misn. Lit. Gerdes. plag. 4. §§. 27.

§. 1. Quousque ratihabitio contractus eaque superueniens ex postfacto, ualidam reddat conuentiōnem, in genere tradit, eamque in negotiis ualidis, tantum nonnullis, locum habere, contendit. §. 2. Eidem ratihabitioni effectum ac pondus denegat in nuptiis clam parentibus contractis, idque legibus ac rationibus euincit. Nec discriminis quidquam hic subesse, iure quidem Saxonico, monet, siue de patris, siue de matris consensu sit quaestio. §. 3. In dubium uocat sententiam quorundam Doctorum, qui, sub secula copula carnali, consensum atque auctoritatem parentum elidi, tradunt. Quam opinionem §. 4. 5, et 6. aduersus Carpzouium infringe-

re sustinet, atque ad textus Iuris, cum Canonici, tum Civilis, a Carpzouio adductis, respondet. Ubi simul de Coemtione et Confarreatione apud Romanos. §. 7. et 8. de eo, quid circa hanc rem in Saxonia obtineat, disquirit, atque rationes ac conditiones Rescripti Elect. Sax. de dato Zabellitz d. 16. Nouembr. 1648. expendit, easque explanat accusarius. §. 9. Dubitat, an, si parentum copia non detur, ipsi foeminae nubere filio paranti, parentum filii dissensus, iuxta praescripta requisita d. Mandati, pariter sit notificandus? item an matris scientia hac in parte patri ignorantii praeiudicet? Tandem causas illas parentum dissensus, quae in citato Rescripto praestruuntur, cum non sint expressae ibidem, a Principe diiudicandus censet. §. 10. Disquirit, anne neglectus parentum consensus, ipse pro causa dissensus idonea haberri possit, tametsi uel maxime carnalis intercesserit copula. Idque affirmandum iudicat. §. 11. uerba Rescripti, saepius citati, hoc pertinentia commemorat. §. 12. Praetermissam a Carpzouio legem I. §. 5. ff. de lib. exhibend. item ducend. adducit; eamque, ceu patriae potestati in nuptiis liberorum nihil non derogantem, allegari ab aliis, monet. Quibus tamen responderet. §. 13. 14. 15. 16. 17. et 18. *Ulricus Huberus*, dissentiens hic, ordine refellitur. §. 19. 20. et 21. I. I. §. 5. ff. de lib. exhib. it. duc. ulterius explicatur. §. 22. Ad alteram thematis partem transit, ac, militem quoque ad ualiditatem nuptiarum, Chiliarchiae suae consensu opus habere, commonstrat. Ubi primum de

de Iure Romano. §. 23. Ulterius de militibus Romanorum deque uariis eorum generibus. §. 24. ostenditur, uxores contra principum mandata leges que a militibus, aliisque ductas, illegitimas esse, liberisque ex eiusmodi matrimonio procreatibus, illegitimorum natalium labem quoad praeteritum non ablui, requisitis legalibus deinceps accendentibus. §. 25. Leges Saxonicas circa hanc rem aliquot ab hinc annis latas explanat, ac, deficiente l. uno requisito, sponsalia iuxta et nuptias inualidas esse iure nostro docet. §. 26. De litium in eiusmodi casu subortarum refusione pertractat, idque iudicis arbitrio committendum existimat. Quam in rem regulas aliquot generales suppeditat. Ibidem et, an Chirurgus militaris eisdem Mandatis Saxoniciis comprehendatur, disquirit. Qua de re Principis voluntatem sibi expetiuisse Consistorium Ecclesiasticum Vitembergense, eamque expectare, submonet. §. 27. Negat, ratihabitione chiliarchiae sponsalia inualida conualescere, idque ex ipsis mandati uerbis probat. Tandem trigam mandatorum Regionum apprime hic facientem ad uerbum subiecit, et sic finem dissertationi fecit.

Die 4. Dec. IOAN. FRIDER. VVEIDLERVS, Sup. Math. P. P. et respondens M. MATTHIAS MARCVS ROTH, VVonnseesa Francus. *Selectas aliquot obseruationes coelestes, superioribus annis Vitembergae habitas, forma disputationis exposuerunt 4. pl.*

*Obseruatio I. agit de luna in eclipsi totali euane- scente. scilicet a. 1722. d. 29. Jun, cum eclipsis lu-*

nae totalis contingere, cuius initium erat mane h. 1.  
m. 7. totalis uero immersio h. 2. m. 15. et haberet  
luna exiguum latitudinem 15. circiter minutorum  
australem, in ipso eclipsi medio, euenit, ut superior  
lunar is disci portio, quae in centrum umbrae porri-  
gebatur, euaneſceret, clara nocte, et micantibus un-  
dique stellis, cum interim inferior pars orbis, hori-  
zonti uicinior, semper subrufo lumine apparebat.  
atque ita quidem latebat pars altera superior, ut nec  
telescopii auxilio posset produci in conspectum,  
donec hoc phaenomeno per dimidium horae spa-  
tium durante, nubes surgerent ab occidente, et prius  
inferius, tum et superius lunae hemisphaerium,  
omnino oculis obseruatorum conderent. Praemissa  
historia obseruationis, nonnulla de opinione ueteri,  
lunae lucem propriam tribuente, et de phaenomenis,  
unde ista astronomis antiquis subnata est, explican-  
dis, in medium afferuntur. Deinceps similia specta-  
cula, quando luna omnino lucem suam amisit, a  
Keplero, Heuelio, Plantadio, Clapierio et Laualio  
annotata commemorantur, et tandem rari experi-  
menti causa coniicitur (1) in caliginosum coelestis  
aurae spatium, quod illo loco ubi transuerse se fe-  
cant radii solis a telluris atmosphaera refracti et in  
illam partem coeli transmissi, oriri debet, (2) existi-  
matur, non praetermittendam esse aeris, qui terram  
ambit, opacitatem, qui quando confertis scatet ua-  
poribus, inhibet solis radios et transmissum ad lu-  
nam impedit, unde luna hac face destituta, uel sin-  
gulari pallore corripitur, uel omnino, qua parte sol  
camnon illustrat, euaneſcit,

Obser-

*Obseruatio II. est iridis lunaris uisae An. 1719.*  
d. 11. Sept. post hor. VIII. uestpert. habebat figuram  
arcus solitam, colores tamen non accurate poterant  
distingui, saltem superiores partes erant inferioribus  
clariores. altitudo arcus erat 25. gr. Luna ex oppo-  
sito dichotoma uix superauerat meridianum; deci-  
debat aliqua pluua tranquillo aere sed parcior, et  
cum pluua statim etiam iris cessabat. Est haec ob-  
seruatio tanto memorabilior, quanto rarius tale spe-  
ctaculum uisum est, et omnino a nonnullis physicis  
negatum esse constat.

*Obseruatio III. atmosphaerae lunaris.* nempe  
quoties luna sub sole uisa est, toties excepta per te-  
lescopium in camera obscura eius imagine, habuit  
discum in extremis male terminatum, manifesto se-  
mipellucida ipsi circumfusa aura praeditum.

*Obseruatio IV. aurorae borealis:* terribilis huius  
lucis hyperboreae conspectus anno 1721. die 1.  
Martii a media nocte, usque ad matutinum tempus  
sequentis diei, contigit. Commemorantur eius  
singularia spectacula latius, et p. 23. eorundem  
causa a Keplero iam olim prodita restituitur. Ke-  
plerus in astron. opt. p. 280. ubi transmissum sola-  
rium radiorum ad lunam per aerem terrestrem ex-  
plicat, ait physici iudicent, utrum alterutra harum  
seruat illuminandis chasmatis, quae fere semper  
septentriones spectant. et contendit disputationis  
auctor, utique nullam probabiliorem borealis aurae  
causam dari posse. nam etiamsi sint in aere exha-  
lationes, quae lucem possint concipere, tamen non

reperi incendii et motus plane singularis et fluctuantis causam; quam ex impulsibus radiorum solarium opportunissime liceat deriuare. Postea etiam de origine exhalationum in quibus tale lumen in primis in regionibus hyperboreis nascitur, copiosius disquirit.

*Obseruatio V. Nubis fumantis.* Quia auctor nullibi se tale phaenomenon relatum legisse recordatur, inferuit illud ob raritatem: ao. 1721. d. 6. Maii, mane hor. X. m. 55. usque ad hor. XI. prope cardinem septentrionis in nube obscura et densa 18 gradus supra horizonem eleuata, columna apparuit fumea, ad instar fumi ex sumario lente surgentis, lata circiter 2 gradus, alta gradus 4, ubi manifesta erat materiae fumigantis eructatio, et in principio circumactio quaedam uel reciprocus ascensus et descensus; postea fumea haec columnā contrahebatur in exile spatiū, et in eius locum nubes caliginosa succedebat, protinusque in illa regione tonitrua aliqua sequebantur. Propendet obseruator in eam opinionem, hanc fumigationem nubis, materiae lucis borealis interdiu deflagrantis exemplum esse.

*Obseruatio VI. Halonis solaris,* haec ipsa uisa est a. 1723. d. 8. Iunii, et ab hora X. ad horam II. durauit. Interior peripheria flavescebat, exterior candida erat, sed ad instar nebulae non satis accurate terminata. Aer erat tranquillus sed uaporosus; post discussam halonem, uentus violentus et pluvia sequebantur. Causa ex eo desumitur, quia imago solis in aere picta, quaquaversum eiaculata lumen, pellit

pellit uapores, et eos reddit eo loco, quo cesserunt, constipatores, quo facto, hic aliter refracti reflexi que solis radii producunt halonem coloratam. Additur p. 31. a. 1721, d. 8. Aprilis hor. 8. uesp. lunarem quoque halonem uisam esse, sed coloribus destitutam.

Tandem monet sub finem auctior transitum mercurii sub solis disco, mens. Nou. anni elapsi ob aerem toto illo die nebulosum et pluuiosum, spectari non potuisse. Quaesitum etiam esse, auxilio telescopiorum, cometen in capricorni sidere nuper conspicuum; sed tardius de illo spectaculo factus certior, eo tempore obseruari coepi, quo iam ex oculis mortaliuum cometes se subduxerat.

Die 4. Dec. a. h. M. MATTH. MARC. ROTH, Wonneeega Francus selectas aliquot obseruationes Dioptricas pro cathedra defendit, eoque tutius, quod in materia tali experientiam aliquam usu frequentiori sibi comparasse, affirmet. Unde in Obseru. I. generatim et effectum refractionis et abstractam diaphanorum considerationem percurrit. Dehinc in Obseruat. II. inquirit: An Refractio uitrorum efficiat imagines clariores? Ubi hypothesin Carthesianam, luminis radios aerem permeantes magis inclinati, quam aquam, et adhuc magis aquam quam uitrum, adducit. Nec non Theorema Anaclasticum Kohlhanianum allegat; fractiones inferuire apparentiarum distinctioni, multiplices refractiones non multiplicare imaginem eiusdem uisibilis, sed exhibere unicam magis distinctam. Utique obuiam

uiam ire contendit. Quod ad Carthesium, eius effatum meram esse hypothesin nullo argumento firmatam, imo experimentum pilae, quo in illustranda reflexione et refractione utatur, eidem refragari, suspicatur. Praeterea claritatem representationum non ex radiorum robore, sed eorundem coniunctione dependere, statuit. Quod ad Kohlhansium, hic distinguendum censet. Etenim ultra plana, itidem lentem cauam nihil facere ad obiectorum claritatem, ex eo, quod nullam radiorum unionem producant, secus tamen fieri in conuexis. In Obs. III. De Vitorum delectu agit, ac ut experientiae plus, quam ratiociniis fidant, simul suadet. Vltra obscuriora inter et candidiora media commendat parum per grisea uel perparum viridia, ductus autem materiae spiralis seruantia, uel aerem intra bullulas collectum concludentia ceu inutilia cum aliis reiicit. Posthaec in Observat. IV. de Politura uitrorum monita singularia promittit, propriae ute pote praxi innixa, inter ea 1) curandum maxime arbitratur, ut uitrum reddatur circulare, cuius pragmatiae utilitatem dilaudat, tum in politura commodiore, tum in usu uitri securiore, simul rotunditatis conciliandae enchirisin annexit. 2) Laboriosum pro perficienda machina in utris sphaericis componendis conatum improbat prorsus, cum uerticillum plane non uacillans uel impossibile sit, uel non durabile, turbari adeo ex inaequali uerticuli pulsu sphaericae perfectionem sensibiliter, iudicat. Itaque magnas lentes satius esse in patella immobili manu circumagi,

agi, concludit. 3) Lentem magnam glutine seu pice uult firmandam, et patinam super ea mouendam, quippe quae leuius ducatur. 4) Capulum ligneum non nisi satis durum, multo tamen utiliorum plumbeum aestimat. 5) Lapidem Tripolitanum in puluerem tenuissimum redactum ad polituræ negotium commendatissimum suadet, modumque politurae fusius insinuat. Ad ultimum in Observat. V. curiosius explanat, lentem in medio perforatam urere, (si in ora residua conuexa superficiei figuram assumferit) non aliter ac lentem integrum conuexam, nec minus distincte imagines pingere, unde medium lentum portionem axi uicinam ad uniendos lucis radios absolute necessariam non esse, haud inepte colligitur. Aliud curiosum affertur, quando lente in medio excauata ora redduntur conuexa, et opposita superficies plana relinquitur, ubi caua superficies lucis radios dissipat, et obiecta minor reddit, conuexa uero radios unit, et obiecta auget, in uno eodemque uitro effectu contrario, quo phaenomeno periucundo finem instituti facit.

D. DIETERICVS HERMANNVS KEMMERI-CHIVS, I Ctus, Iur. Nat. et gent. in Acad. Vitembergensi Prof. Publ. et Colleg. Iurid. Assessor. Cuius quae sint in rem literariam tum in Iurisprudentiam publicam pariter ac priuatam, metita, scripta eius loquuntur; quae quidem ut in pretio esse eruditis dudum coeperunt ita plane spem faciunt, fore, ut ea tum diligentia, doctrinaque, plura deinceps publico bono edat in lucem. Ac quidem commen-

tatio-

tationem ad Institut. Iustinian: nunc adornare accepimus opus profecto, ubi prodierit, absolutissimum, ac publice priuatimque apprime profuturum.

Hoc Praeside enarrationem Iuridicam de denuntiatione iniuriarum Saxonica d. 17. Decembr. publicae disquisitioni subiecit PAVLVS HENRICVS SORGE, Goth. Thur. I. V. C. Vitemb. Literis Creusianis, plag. 6.

In Prooemio auctor rationes, quibus potissimum ad hoc thema explicandum inductus fuerit, exponit. §. 1. uocabulum *denuntiare* explicat et cum germanico *Rügen*, comparat, §. 2. originem denuntiationum scrutatur, ubi simul accusationum Romanorum et quae postea in harum locum successerunt, denuntiationum naturam indolem, utrarumque diuersas rationes commemorat, Stationariorum Irenarcharum Apparitorum Romanorum munere explicato. §. 3. Canonici Iuris denunciationes earumque diuersas species enumerat, deinceps ad duo summa genera Euangelicam nimitem et Judicialem reducit, et hanc iterum in Ciuilem siue Romanam Canonicam siue Papalem et Saxoniam dispescit, sigillatimque de denuntiatione euangelica agit, §. 4. speciatim de denunciatione Canonica cuius sedes est in c. 13. X. de Iudiciis, contextus est, eiusque genuinam definitionem e Thomasii dissert. de hoc argumento. §. 39. petitum sub lit. d) tradit. §. 5. proprius ad rem accedit denunciationem Saxoniam definiendo §. 6. denunciationem, de qua agitur, ad solas iniurias restringit, quam

rum simul descriptionem pariter ac diuisionem exhibet : §. 7. de moralitate actionum iniuriarum quaestionem mouet, ad eamque distinguendo inter forum externum et internum actiones iniuriarum stricte sic dictas ut plurimum cum rancore animi coniunctas, atque nudas denuntiationes respondet, §. 8. quid regulae prudentiae hac in parte explicant, et secundum eas moderatius hoc iuris remedio utendum praecipit, non tamen usquequaque iniuriarum vindictam prohibitam esse §. 9. innuit, et tantum abesse, ut potius praceptae iniuriarum denuntiationes intelligentur, cuius rei exempla simul adducit. §. 10. an aliae quoque personae praeter laesos denuntiare possint l. teneantur secundum uarias uariarum legum puta Romani, Canonici et Saxonum iuris dispositiones interpretatur, sigillatimque affirmat de patrio iure, idque §. 11. ulterius illustrat §. 12. de abusu denuntiationum nonnulla adferuntur, ad quem abusum ex parte tollendum §. 13. remedium suppeditatur. §. 14. Forum denuntiationum competens pro ratione personarum causarumque explanatur. §. 15. libelli partes enumerat, eiusque exemplum cum lectore communicat §. 16. an in processu ciuili incidenter fieri iniuriarum denunciatio possit quaeritur, et negatur cum aliquo tamen temperamento, pariter, num plures denuntiationes in uno libello cumulari queant inuestigatur et posse imo debere saepenumero, §. 17. denuntiationem reo ante responsionem communicandam haud esse contendit, nisi ubi condic-

conditio personarum l. aliae circumstantiae aliud postulent §. 18. denuntiantis comparitionem in termino desiderari plane negat §. 19. ad probandi remedia descendit, eademque strictim exponit, §. 20. utrum probatio cum primis testium examen responsionem rei praecedere debeat, an uero sequi? disquiritur. auctor cum lege hac in parte nihil sit determinatum, prudentis iudicis arbitrio id relinquentum existimat. §. 20. denuntiantem probatione semel usum ad confirmationem denuntiationis iuratam l. etiam iuramenti delationem frustra recurrere, euincitur, §. 22. doctrinam de surata denuntiationis confirmatione cum temperamento accipiendum esse, asseritur, §. 23. de modis tollendi iniuriarum denuntiations et sigillatim de praescriptione agitur, et huic contra iniurias hodieque locum esse, rationibus et praeiudiciis confirmatur, §. 24. remissio itemque mors inter modos tollendi denuntiations iniuriarum refertur, §. 25. idemque ultimus temere denuntiantium pruritum coercendi remedia, nempe restitutionem expensarum et grauiorem etiam subinde poenam commemorat.

Die 18. Decembr. Diatriben Historicam de Hypocrisi Oratoria seu Eloquentia Corporis Praefide IO. GUILIELMO BERGERO, Sac. Caes. Mai. et Potentiss. Polon. Regis ac Pr. Elect. Saxon. Consiliario Historiographo Regio Eloq. et Human. Prof. Publ. Alumn. Regio Elect. Ephoro publice tuebatur auctor M. FRIDERIC. ERDMANN DITERICVS, Lunauia Misnicus, Reg. Elect. Alumnus, Vitemberg. Literis Creusigianis pl. 6 $\frac{1}{4}$ . Com-

Commentatio haec numeris XL. absolvitur, in quorum I. Isaacus Vossius notatur, qui brutorum meliorem, quam nostram conditionem esse de uiribus Rhythmi contendit, quod promptius illa et forsitan felicius sensus et cogitationes suas sine interprete signis, nutibus, gestibusque significant. II. Auctores laudantur, qui eiusdem Vossii sententiae obnunciant; atque illa suam alteri significandi mentem ratio, quae fit sono uocis distincto, atque articulato ex ueris certisque caussis multo pulchrior praestantiorque reputatur. III. Vox, quae gestibus utatur comitibus, commendatur, solique uoci, et gestibus sine uoce antefertur. IV. Veteres eandem eloquentiam magni semper fecisse, magnoque studio elaborauisse contendit auctor, nec minus idem se operae pretium facturum esse existimat, siquidem hic, ubi alii aliter sentiant, repetita potissimum antiquitatis memoria, non nihil operae sumat. V. Via ratioque tractandi sistitur. VI. Homonymia Hypocriseos spectatur, neque hic mente Theologica sumi, nec  $\pi\alpha\lambda\gamma\chi\omega\varsigma$  et ciuili significatione adhiberi monetur, sed idem esse, quod Latinis Actio, a scenica tamen ac tragica sedulo distincta, docetur. VII. IX. Synonymia consideratur, quod enim Graeci Hypocrisis uocent a Cicerone Eloquentia Corporis, ab aliis Eloquentia externa appellari. X. Hypocrisis finitur, quod sit ea Oratoris ars, quae non solum concinna uocis moderatione, sed etiam gestu, rebus significandis decorē accommodato, sic aperiat animi cogitata, ut auditori, his rebus excitato uarieque

affecto, facilius persuadeatur. XI. Definitio uberioris explanatur. XII. Eloquentia Corporis in duas tribuitur partes, in uocem et gestum. XIII. Quem ad modum uox et pronuntiationis moderatio, a ueteribus fuerit exculta, docetur, simulque uaria uocis uitia, eorundemque caussae traduntur, nec non de remediis agitur. XIV. Aliae rationes excolenda uocis sistuntur e. c. lectio, ambulatio. XV. Demosthenis in exercenda uoce studium narratur. XVI. Multum operae ipsi pronuntiationi, in primis apud Graecos, datum fuisse ueterum exemplis declaratur. Ac saepe Graecos pronuntiationis quam reipublicae conseruandae studiosiores fuisse demonstratur. XVII. Non minus Latinam, quam Graecam pronuntiationem mutatam esse, argumentis probatur. XVIII. Quid ueteres in clara ac distincta uoce spectarint, excutitur. XIX. De uocis suavitate disputatur. XX. Vox grandis et canora quae fuerit, docetur. XXI. Flexibilis item, in omnemque partem uersatilis atque numerosa examinatur. XXII. Alteram Hypocriseos Oratoriae partem quae gestus format orditur auctor. XXIII. De Pantomimis ὡς ἐν παρῳδῷ agitur. XXIV. Palaestrae quoque ueteres multum tribuisse, quae motus gestusque decenter doceret, itemque XXV. saepius publice priuatimque declamauisse, monetur. XXVI. Salutationi etiam olim uacasse futuros oratores. XXVII. Nec minus in Musicis pueros antiquitus studiosissime eruditos fuisse traditur. XXVIII. Ad Corpus transit auctor, huiusque εὐγενθυμία seu aptum et decentem

centem motum, quid ueteres in eo praestiterint, spectat, atque a capite, quod omnium partium secundum Philosophum diuinissimum est, initium facit. XXIX. De anteriore capitinis facie, quae uultus dicitur. XXX. De fronte. XXXI. De oculis. XXXII. De superciliis differitur. XXXIII. Aures se praeterire auctor ait propterea, quod hominis proprium sit, secundum Philosophum, aures non mouere. Nonnulla tamen ad memoriam insignia profert, et quae de naso obseruanda sint, monet. XXXIV. De ore. XXXV. De manibus. XXXVI. De pedibus quid considerandum sit, luculenter exponit. XXXVII. De statu oratoris erecto et celso tractat. XXXVIII. Corporis eloquentiam tanto ueterum studio excultam, derelictam deinceps a fere deperditam fuisse ostendit. XXXIX. De temporibus, quibus haec ipsa Hypocrisis Oratoria instaurari coepit, agit, et praestantissimos huius artis scriptores laudat. Tandem XL. de utilitate Hypocriseos Oratoria exponit.

Rectore et consilium Academiae Vitembergensis publicum studium et laborem commendat et operas suas sudoresque humanissime offert sequentem in modum qui, mare ingressi, euehuntur in altum, Helicen speculantur et Cynosuram. At mari quam uasto comparetur amplitudo literarum? Quare, sidus, uestro studiorum cursui salutare, si quaeritis, Ciues, sequimini lumen, quod per hoc semestre uobis praeferre, publice priuatimque docendo,

cendo, paramus. P. P. XVIII Calendas Decembres,  
anno recuperatae salutis cl<sup>o</sup>, l<sup>o</sup>, cc, xxiii

*IN FACULTATE THEOLOGICA.*

GOTTLIEB WERNSDORFIVS, D. P. P. et Sup.  
Gen. Praelectiones in *Formulam Conc.* quas haud  
ita pridem coepit, iuxta et *Historiam Eccl.* inde a  
C. N. diligenter continuabit, *Exercitationes inue-*  
*nium studia aemulantium quotidianas propediem*  
*sunt adiecturus.*

MARTINVS CHLADENIVS, D. Prioris Epistolae  
ad Corinthios interpretatione publica nupet abso-  
luta, alteram pari methodo pertractaturus est. In  
libris Symbolicis explicandis porro strenue perget,  
perinde ac Theticis in Koenigium Praelectionibus,  
Collegio disputatorio, et Institutionibus Theolo-  
giae Moralis.

GEORG. FRIDERICVS SCHROEER, D. publice  
dicta Scipturae, quibus doctrinae Christianae ca-  
pita nituntur, et recte iuxta regulas Hermeneuti-  
cae Sacrae interpretabitur, et interpretationem fal-  
sam argumentis refutabit; collegia, *Anti-Reforma-*  
*tum* et *Anti-Papaeum* sedulo continuabit priuatim,  
et nouum *Disputatorium* inchoabit.

IO. GVILIELMVS IANVS, D. post schisma inter  
 Orientalem et Occidentalem Ecclesiam, ductu  
 Trutinae Neumannianae, publice excussum, tres  
 religiones Imperii Romani, eadem methodo, inter  
 se et cum Verbo DEI comparabit. Priuatim Hi-  
 storiam Ecclesiasticam seculi XVII. et Acroases in  
 Theologiam Aphoristicam persequetur: quibus nu-  
 petri-

perrime etiam repetitionis exercitium, a selectioribus quibusdam illarum auditoribus desideratum, adiunxit, seorsim D. V. continuandum.

*IN FACULTATE IURIDICA.*

**IO. BALTHASAR WERNHER**, D. Ordinarius, publice in explicando Iure Canonico, iuxta doctrinam Schilteri, perget. Priuatim, praerer Collegium Examinatorium, modum, relationem ex Actis dextre formandi, ostendet.

**GEBH. CHRISTIANVS BASTINELLER**, D. publice Distinctiones Iuridicas iuxta seriem Pandectarum interpretari, earumque usum demonstrare continuabit. Priuatim uero Digesta et Ius Feudale expositurus est, itemque in caussis forensibus elaborandi, ac disputandi, exercitium denuo instituet.

**GODFR. LVDOV. MENCKEN**, D. publice principia processus iudicarii explicat, priuatim in Struui Iurisprud. Rom. Germ. illustranda occupatur, Iurisque feudalis, ut et Canonici iinterpretandi labores proxime reassumet.

**CHRISTOPH HENRICVS DE BERGER**, D. h. t. Academ. PRO-RECTOR et DECANVS, publice Struui-Iurisprudentiae Romano-Germanicae interpretationem auspicabitur. Priuatim quid sit acturus, separatim significabit.

**IACOBVS CAROLVS SPENER**, D. publice lectures in Strykii Examen Iuris Feudalis continuat, priuatimque Dn. Gribneri Principia Iuris Naturalis, atque Struianum Ius publicum interpretatur.

**DIET. HERM. KEMMERICH**, D. publice adhuc Lectiones Lauterbachianas per singulos hebdomadis dies continuat, differentias iuris naturalis et ciuilis secundum ordinem Pandectarum explicans. Priuatim Introductionem suam ad Ius Publicum interpretabitur.

**IO. GODOFREDVS KRAVS**, D. publice circa finem Constitutionum Electoralium Saxoniarum uersatur, quibus absolutis *Ius Saxonicum ecclesiasticum* inchoabit, priuatim praelectiones suas in *Institutiones Iuris Iustinianeas*, Schoepfferi Synopsin Iur. Priu. Rom. et For. Dn. Gribneri Principia Proces-sus iudicarii simulque *exercitia Disputatoria* iuxta seriem Institutionum Iur. continuat.

*IN FACULTATE MEDICA.*

**IO. GOTHOFREDVS DE BERGER**, Acad. Senior, exploratores medendi regulas publice tradet, emendatis simul illis, quae uulgaris medicum peruersitate opinionum corrumpere solet. Priuatim quid suscepturus sit, seorsim indicabit.

**D. CHRISTIANVS VATER**, Pathol. P. P. Medendi artem obseruationibus et cautelis, diuturna praxi collectis, ulterius illustrare et a uariis erroribus emendare perget. Ac de caetero totius Artis medicae fundamenta in gratiam Tyronum rursus ab initio per praecepta sua, rypis expressa, tradere, eademque exercitiis disputatoriis singulis septimanis illustrare studebit.

**D. ABRAHAMVS VATER**, Prof. Publ. Anat. et Botan. substitutus, priuatim perget in Practico Exa-

Examinatorio, atque in Institutionibus explicandis, quibus propediem adiungeret Collegium Anatomicum, atque Chymicum; publice non minus demonstrationes Anatomicas in Theatro, iam coepias, sedulo continuabit.

*IN FACULTATE PHILOSOPHICA.*

IO. CHRISTOPHORVS WICHMANNSHAV-  
SEN, LL. OO. Prof. Publ. exantlato, qui huicdum  
circa idioma Arabicum expediendus restat, labo-  
re, ritus Ebraeorum sacerdotales, ad normam Le-  
uitici, strictim, publice recensebit. Priuatum in  
eo potissimum occupabitur, ut super adminiculis  
authenticas Sacrae Scripturae tabulas interpretan-  
di, adprime necessariis, pro uirili, denuo dispiciat.

IO. GVILIELMVS Bergerus, P. P. publice, partim  
*Res aei recentioris ex actis temporum, partim*  
*Germanicas Antiquitates*, explicauit. Dehinc,  
*excussis Historicorum Concionibus*, ex hoc ipso ci-  
uilibus prudentiae thesauro, praeter uindicias uete-  
rum, Pragmaticae iudicium Eloquentiae finget.  
Domi, cum Oratorias commentationes ex animi  
notitia ducere, tum historicas et alias prosequi,  
pertendet.

GEORG. GVIL. KIRCHMAIERVS, superiori tem-  
pore, totum linguae Graecae campum, publicis in  
scholis, peragrauit, purosque ipsius autores excussit,  
ac profanos cum sacris conciliauit, communemque  
Graecorum, Latinorum, Germanorum, loquendi ra-  
tionem ex reconditis linguarum fontibus arcessi-  
uit, et uulgi eruditorum ineptias de *hebraismis* refel-  
lit,

in tradendis nunc exquisitis dicendi iuxta ac scribendi praeceptis, sine quibus studia quaecunque frigent et fordent, occupatus.

**ERNESTVS CHRISTIANVS SCHROEDERVVS,**  
Log. et Philos. prim. P. P. publice in *αγγελογραφίᾳ*, seu *intelligentiarum* materie, scienter expoundinga adhuc occupatus, earum naturam, affectiones, et operationes uel ex solo rationis lumine luculenter declarat, priuatimque labores coepitos continuat, alios iis, quos separatim indicabit, propediem adiuncturus.

**MARTINVS HASSEN,** Moralium et Civilium P. P. publice hora IX. antemerid. Dn. *Gribneri principia Iurisprudentiae naturalis* in nucleus redacta, et apud uiduam Zimmermannianam uenalia, exponit, priuatim hor. XI. et II. pomerid. *Synopsis suam* solita tractat methodo, priuatissime hor. III. aut IV. *Collegium Politicum Speciale* propediem auspicabitur.

**MARTINVS GOTTHELFF LOESCHERVS, D. h. t.**  
**DECANVS,** publice expositionem Aphorismorum Hippocratis sedulo continuabit, eademque finita, Institutiones Medicas tradet. Priuatim Praxin docet Medicam, nec non Physiologiam, Physicamque Experimentalem demonstrationibus Curiosis illustrat.

**FRIDERICVS STRVNZIVS,** Poef. P. P. partem, quae restat ex Dramatica Poesi, nempe Satyricam, Aristophane, Iuuinali, Persio ducibus, hora secunda pomeridiana enarrat, hora matutina octaua

ua et pomeridiana tertia Gracces autores et Scho-  
liaстas interpretatur, hora meridiana undecima  
et pomeridiana quarta sapientiae solida funda-  
menta iacit.

**IO. FRIDER. WEIDLERVS,** Super. Mathem.  
Prof. Publ. in lectionibus publicis chronologicis  
hora I. temporis Christiani formas luculentius de-  
scribit. Priuatim hora IX. uniuersae matheseos  
elementa illustrat.

**IACOBVS CAROLVS SPENER,** D. Histor. P. P.  
publicae Pufendorfii insignem in Europaeorum  
Statuum politicam historiam introductionem ex-  
ponit, priuatimque iterum in Dn. Langii Intro-  
ductionem in S. R. I. Imperii historiam ac inde  
fluens Ius publicum commentatur.

**IOH. MATTHIAS HASIVS,** Math. Inf. P. P. abso-  
lutis Architecturae Ciuilis institutionibus, quas  
publice in gratiam auditorum, quam potuit fieri,  
succinctissime proposuit, progressum fecit ad  
Gnomonicam, in lectionibus publicis tradendam.  
Priuatis Lectionibus cursum uniuersae Matheseos,  
priuatissimis Selectiores quasdam eiusdem disci-  
plinas, auditoribus suis exponit.

Praeter ordinarios et publicos Academiae no-  
strae Professores et Doctores alii adhuc dantur tum  
Extraordinarii Professores tum uaria doctrina orna-  
tissimi Magistri, qui et scribendo et disputando imo  
et docendo iuuentuti academicae et prodesse et pla-  
cere hactenus studuerunt. Inter quos primo loco po-  
nendum **SAMVEL FRIDERICVS BVCHERVS,** An-

tiquit. Prof. Publ. qui per semestre hoc, tradidit publice *Antiquitates Sacras* in reliquos C. Psalmos ac II. Pauli Epist. ad Timotheum, priuatim *Antiquitates Graecas et Romanas*, *LINGVAM HEBRAEAM, CHALDAEAM, SYRIAM*; priuatissime praecipua Religionis Christianae Capita ex Hermeneutica s. Philologia S. Theologia Exegetica et Polemica examinavit.

\*     \*

Festo Natiuit. Iesu anniversario Magnificus Academiae Rector JOANNES HENRICVS DE HEVCHER, Consiliar. Aulae atque Archiater Regius Anatomes et Botanices Prof. Publ. Interprete summe Venerabili et Excellentissimo Domino IOAN. GVIL. IANO, SS. Th. D. et P. P. Alumn. Ephoro et summe Venerandi ordinis h. t. Decano ciuibus Academicis Gloriam Domini in Natiuitate Iesu conspicuam pie uenerandam commendauit sequenti Programmate et Carmine:

**I**ntra ostenta atque *τεκμήσια* diuina, quae primam, eandemque coelestem, salutiferae natiuitatis Christi annuntiationem insignierunt, nihil illustrius, nihil omnium attentione dignius, nihil ad sanctam uenerationem tanto mysterio concilandam efficacius, reperio, quam ΔΟΞΑΝ ΚΡΙΤΩΝ, quae pastores Bethlehemiticos, primos ex mortalibus illiustestes atque pae-

CO.

cones, circumfulsit, *Luc. II, 9.* Non satis erat Diuinae Sapientiae, ad fructum huius natiuitatis hominibus declarandum, mitti ἀγγελον κυριον, u. 10. et 11. non satis, salutem per illam, generi humano partam, totius chori angelici concentu celebrari, u. 13. non satis, *cum primogenitum in orbem terrarum introduceret, eum ab omnibus angelis Dei adorari, u. 14.* coll. *Hebr. I, 6.* sed his omnibus longe maiorem GLORIAM DOMINI simul apparere, et dictis angelicis fidem facere, uoluit. Iusto humilius de re tanti momenti sentiunt plerique interpretes, qui non nisi communem quendam splendorem, qualis et alias apparitiones angelicas comitari consuevit, ut *Matth. XXVIII, 3.* et *A&Z. XII, 7.* animo hic concipiunt. Nam ne unum quidem locum similem, in quo communis eiusmodi angeli apparentis splendor δόξα κυριος appelletur, ostendere possunt. Ipsa etiam uerba haec expositionem illam aperte respuunt. Nam si uel maxime cum nonnullis δόξαι pro luce, quam tamen proprie nusquam significat, accipias, quis, styli sacri uel mediocriter peritus, ferat, δόξαι κυριος explicari per lucem an-

angeli? Doctissimi quique falsitatem communis istius interpretationis pridem animaduerterunt. Sed inter hos etiam mentem Euangelistae non asssecuti sunt, qui eo nomine, uel *lucem eximiam et splendidissimam*, a) uel *a Domino immissam* b) et productam, indicari, censuerunt. Tuttissima uia incedemus, si, seposita tanti-sper hominum auctoritate, ipsi uerbo diuino attendamus, 2. Petr. I, 19. et ex Scripturis, inter se collatis, uerum sensum, debita cum modestia, expectemus. Ipsa igitur uerba Euangelistae, in propria et nativa significatione, pariter ac syntaxi ordinaria, accepta, non angeli, sed ipsius Domini gloriam, eamque signo quodam externo atque in oculos incurrente, uti ex uerbō  $\pi\epsilon\gamma\acute{\iota}\lambda\alpha\mu\psi\epsilon\nu$  colligimus, manifestatam, planissime significant. Ad comparationem Scripturarum, et simili-um in iis locorum, rite instituendam, ante omnia, obseruari par est, illam loquendi for-

- 
- a) Ita hunc locum explicant Hugo Grotius, et Lightfoot. in Chron. Tempor. T. II. Operum, p. 3.  
 b) Ita Vatablus ad hunc locum, T. VI. Criticorum Sacrorum p. 278.

formulam, sicut alias in scriptis N. T. multis, ex uersione Graeca V. T. Christianis tunc temporis, aequae ac Iudeis Graece loquentibus, familiarissima, petitam esse, et in hac exprimere nomen Hebraeis auribus notissimum, כבוד יְהוָה gloriam Iehouae, siue, ut B. Lutherus uertit, die Herrlichkeit des HERrn. uide e. g. Exod. XVI, 7. et 10. cap. XXIV, 17. cap. XL, 34. Leu. IX, 6, 23. Num. XIV, 10. i. Reg. VIII, 10. Esa. XL, 5. LX, 1. 2. etc. Iudei, quibus hodieque nomen hoc sacrosanctum est, usitatus fere id uocare solent שכינה, habitationem, inhabitationem, siue manifestatam praesentiam, siue, ut Campegius Vitrunga c) reddit, residentiam, diuinae Majestatis: neque id sine Scripturae S. autoritate, quae gloriae Domini habitationem inter homines diserte adscribit, Psal. XXVI, 8. Eodem referunt uerba Psal. LXXXV, 2, ut habitet gloria (eius) in terra nostra. Nam Aben Esra כבוד hoc loco accipiendum esse, monet, pro כבודו gloria eius, puta, Iehouae. Verbis Hebraeis שכינה et σκηνή sono pariter ac significatione, affinia sunt Graecorum σκηνή et σκηνώω, siue κατασκηνώω, quo-

c) C. Vitrunga in Comment. ad Es. LX, 1.

quorum illud uerbio Graeca sacri codicis de tabernaculo Mosaico adhibet, et *Exod. XL, 31.* cum gloria Domini ita coniungit: *καὶ δόξης υἱοῖς ἐπλήθη σκηνή* per hoc, ipsum Hebraeorum *שׁם* de DEo usurpatum, exprimit, *i. Par. VI, 1. Neh. I, 9. Ps. LXXIV, 2. LXXXVIII, 6c. Ez. XLIII, 7, 9. Joel. III, 17. 21. Zach. II, 10. d)*

Quod si speciem externam, qua *gloria Iehouae* olim se conspiciendam præbuit, requiras, eam his Mose uerbis accipe: *Species gloriae Iehouae* ( *מְרָאָה כְּבָדָר יְהוָה* Gr. *εἶδος τῆς δόξης τῶν υἱῶν*) erat sicut *ignis comedens in capite montis ante oculos filiorum Israel*, *Exod. XXIV, 17. conf. cap. XIX, 11.* quamquam et alia symbola præsentiam DEi manifestantia huc pertinent, ut nubes *Exod. XVI, 7. 10. XL, 34. 1. Reg. VIII, 10. 11.* et præcipue arca foederis, *Psal. XXVII, 8. LXXVI, 61. Ier. XVII, 12.* Sed in sola illa specie externa haerere et subsistere, esset, signum sine signato, corticem sine nucleo, arripere. Pluris ergo refert, interiorem

<sup>1)</sup> Pridem illam inter *שְׁכִינָה* et *σκηνή* similitudinem obseruauit Nicol. Fullerus in *Miscellan. Sacr. L. II. c. 4.* et pluribus probauit C. Vitrina *Obseru. Sacr. L. I. disp. II. c. 4.*

rationem gloriae Iehouae, per externum illud signum repraesentatae, oculis mentis religiosae contemplari. Ac primum quidem hic ab omnibus mihi dari concedique, credo, per illam loquendi formulam non actum, quo Deus laudatur, sed rem laude gloriaque dignam, puta singularem quandam ἐξοχὴν siue excellentiam DEi, hominibus manifestatam, significari. Diserte enim memoratur *gloria Iehouae benedicta*, כבָּרוֹת יְהוָה בְּרוֹךְ Ezech. III, 1. *notitia gloriae DEi*, 1. Cor. IV, 6. *laus gloriae eius*, Ephes. I, 12, 14. Dicitur porro *gloria DEi annuntiari*, Psal. XCVI, 3. uideri et cognosci, Num. XIV, 13. Ies. XXXV. 1. Ioh. XI, 40. quae loquendi rationes gloriam DEi a cognitione et laudatione eius luculenter distinguunt.

Etsi uero nihil de DEo cognosci, uel cogitari potest, quod non sit gloriae plenissimum, tamen alia gloria est *naturae* et *operum*, alia *uoluntatis*, DEi. Illa uel ex lumine naturae, adeoque etiam a gentibus uerbo DEi destitutis, cognoscitur. Nam *coeli* istis enarrant gloriam DEi, et opera manuum eius annunciat firmamentum. Ps. XIX, 1. haec uero, secundum quam Deus placatur,

tur, et rite colitur, ex sola reuelatione speciatim sic dicta nobis innotescit, per quam annuntiat Iehoua uerba sua Iacobo, statuta et iudicia sua Israeli. Non facit sic ulli genti, nec iudicia eius nouerunt. *Psal.* CXLVII, 20. Scilicet non nouerunt gentes instituta et uoluntatem Domini secundum quam collendus est, quatenus gentes sunt, et solo lumine naturae utuntur: licet alioquin ex uerbo DEi omnino uoluntatem DEi cognoscere et possint, et debeant, et re ipsa cognoscant, *Psal.* XCVI, 3. CII, 16. CXVII, 1. *Ez* II, 3. *cap.* XXXIV, 1. *cap.* XLII. 6. Praeterea non naturalis illa et subobscura naturae et operum DEi, sed uoluntatis diuinae reuelatae, cognitio animae salutaris est, *Iob.* XVII, 3. Illa כבוד אל gloria DEi, *Psal.* XIX, 2. haec proprio כבוד יהוה gloria Iehouae, Gr. δόξα nominatur. Scilicet nomen Iehoua solius ueri DEi, quatenus ex reuelatione cognoscitur, proprium est, secundum *Exod.* III, 5. VI, 3. XV, 3. *Psal.* LXXXVIII, 5. LXXXIII, 19. *Ez.* XLII, 8. Hinc inuocare nomen Iehouae idem est, ac obseruare religionem diuinitus reuelatam, unice que saluificam, quae fide in Christum continetur, et non nisi ex uerbo diuino hau-

riri potest, interprete Apostolo, *Rom. X,*  
*13. seqq.*

Est perro uoluntas DEi reuelata alia legalis, quae uel facienda praescribit, uel malefacta detestatur: alia euangelica, homini peccatori uiam salutis praescribens, qua remissionem peccatorum consequi, et cum DEo reconciliari, summaque beatitudine potiri, possit. In utriusque reuelatione gloria Iehouae apparet. De uoluntate legali uide e. c. *Exod. XVII. 7. 10. seqq. c. XIX, 11. cap. XX. seqq. et c. XXIV, 16.* de uoluntate euangelica *Ex. XXXIII, et XXXIV.* ubi cum Moses a Iehoua petiisset, *ut ostenderet ipsi gloriam suam, Exod. XXXIII, 18.* non sane externum illud gloriae diuinae signum, quod ipsi, pariter ac uniuerso populo, pridem apparuerat, sed rem per illud significatam; Iehoua respondet: *praedicabo nomen Iebouae coram te, u. 19.* Et huius promissi fidem Iehoua impleuit, ista praedicando: *Iehoua, Iehoua, DEus misericors et gratus, longanimis ad iras, et magnus benignitate et ueritate, seruans benignantatem in millia, remittens iniquitatem, et praeuaricationem et peccatum. Exod. XXXIV, 6. 7.* In hoc uidelicet potissimum

F

Deus

DEus ipse gloriam suam ponit, et praedicat, quod *peccata remittat*, *Mich. VII, 18.* neque ullus hominum gloriam DEi digne aut sincere celebrare potest, nisi qui, peccata sibi remissa, et DEum placatum esse, exploratum habet. *Psal. CIII, 1. 3. 7. seqq.* Sicut ergo in reuelata uoluntate diuina, potissimum Euangelica, sapientia, iustitia, bonitas, ceteraeque uirtutes diuinae omnium maxime eluent, et ab hominibus omnium clarissime, certissime, saluberrimeque cognoscuntur: ita illa κατ' ἔξοχην in sacrificis litteris כבוד יהוה gloria lebouae, nominatur, et quanto uoluntas DEi legalis cum Euangelica comparatur, huius annuntiationi maior gloriae diuinae gradus tribuitur, *2. Cor. III, 7. 9.*

Quamuis ceteroquin gloria haec omnium trium personarum diuinarum communis sit: tamen amplificatio et manifestatio eius praecipue Filio DEi adscribitur. Hic enim sicut gratiam diuinam hominibus conciliauit, *2. Tim. I, 9.* ita gloriam eius potissimum praedicat, *Exod. XXXIV, 6.* et nomen atque sermonem DEi hominibus manifestando, *Patrem glorificat, Io. XVII, 4. 6. 8. conf. C. I. 17. 18.* Hic est

est angelas ille Iehouae, ipse met Iehoua nominatus, Gen. XVI, 11. 13. Exod. III, 2. 4. qui Israelitis, per erenum euntibus, ducem se et comitem praebuit, tamque illustria gloriae, h. e. praesentiae et uoluntatis diuinae documenta, ex igne, nube et tabernaculo, dedit, Exod. XXIII, 10. 11. E.g. LXIII, 9. 1. Cor. X, 4. Ita non tantum Apostoli, sed etiam antiquissimi et doctissimi quique Hebraeorum, uerba Mosis acceperunt, et angelum illum λόγον ac filium DEI nominarunt. e) Eidem angelo Schechina et gloriam Iehouae communis et ueritissima Iudeorum sententia vindicat. f) Iure meritoque igitur ὁ νέος θεός vocatur, i. Cor. II, 8 Iac. II, 1. et απάντασμα

F 2

τῆς

- e) Instar multorum sit Philo Iudeus, in libro de Agricultura, p. 195. operum edit. Frf. 1691. ubi, DEVM coelo terraeque praefecisse, inquit, uerbum suum, filium primogenitum (τὸν ὄρθον αὐτὸν λόγον πρωτόγονον υἱον) qui curam sacribuius gregis, tanquam magnus prorex in se recipiat. Et addit: dictum est enim alicubi (puta Exod. XXIII, 20.) ecce, ego sum, mitio angelum meum ante faciem tuam, ut custodiat te in via.  
 f) Sententiam illam Iudeorum R. Moses Nachmanides in בירור על התורה ad Sect. ואלה שמות (Exod. III, 2. 4.) his uerbis recenset:

τῆς δόξης Hebr. I, 3. cui δόξα νοεῖς peculiari quadam ratione adscribitur.

Epocham huius δόξης νοεῖς, hominibus manifestatae, nonnulli deducunt ab exitu Israelitarum ex Aegypto, ut in cuius historia primum כבוד יהודָה memoratur.  
ff) Sed si rei ipsius potius, quam nominis,

ra-

*Magistri nostri dixerunt, in Bereschit Rabba: Angelus hic est Michaël. --- Ubicunque hic Michael apparet, ibi est gloria Maiestatis Diuinae (τῆς συντρόσεως) et paucis interiectis: Et secundum rei ueritatem hic est Angelus redemptor (המלאך הגואל) de quo dictum est: nomen meum est in medio ipsius (Exod. XXIII, 21.) ille, qui dixit Iacobo: Ego sum DEVS Bethel (Gen. XXXI, 13. conf. cap. XXVIII, 15. et XLVIII, 16.) Idem in Sect. (ad Exod. XXIII, 20, 21.) Et secundum rei ueritatem, angelus hic est redemptor, in cuius medio est nomen illud magnum (המלאך הגואל אשר) (השם הנדרול בקרבו) Et is est, qui dixit: Ego sum DEVS Bethel. Nam mos regis est, habitare in domo. Et magistri nostri dixerunt, quod is sit metator, quod nomen est monstrantis uiam et planitem (כִּי הוּא מַטְרֹן וְהוּא) (שׁ לְמֹרֶה הַדָּרֶךְ וּבְכָרֶךְ).*

ff) Vide uerba R, Bechayi, paulo post citanda, in not. b)

rationem habeas, longe altius illa repetenda est. En DEum de se ipso testantem, Exod. VI, 2. 3. *Ego sum lehoua. Apparui autem Abrahamo, Isaaco et Iacobo, tanquam Deus Schaddai: quodque ad nomen meum lehoua, nonne notus factus sum illis?* scilicet dando illis promissiones meas, quae hic, explicacionis causa, addit Seb. Schmidius. Altius proinde ascendit etiam Stephanus Protomartyr, et ante Mosaicas illas gloriae diuinae manifestationes, Act. VII, 37. 38. memoratas, Abrahamicam, quam dixi, his uerbis praedicat: *Deus gloriae apparuit (ο Θεὸς τῆς δόξης ὁ Φθν) patri nostro Abraham,* u. 2. *Quaecunque uero Stephanus de apparitionibus diuinis Abrahamo factis praedicat, ad manifestationem uoluntatis diuinae, et praecipue quidem Euangeliæ, spectant.* Nam ad huius obsignationem, *dedit ei foedus circumcisionis,* u. 8. cuius foederis summa erat: *ut sim tibi in DEum, et semini tuo post te,* Gen. XVII, 7. Cur ab Abrahamo demum Stephanus incipiat, ratio haec est, quod de iis tantum apparitionibus loquatur, quae ad Iudeos, Abrahamum pro communi patre, gentisque suae conditore, agnoscentes, peculiari

quadam ratione spectabant. uide *Act.* VII,  
2. Alioqui certum est, eandem gloriam  
Iehouae, pridem ante Abrahāmī aetatem,  
et, ut alia exempla nunc taceam, ipsis pri-  
mis totius generis humani parentibus, il-  
lico post admissam culpam, trementibus  
licet, et illius conspectum, rei male gestae  
conscientia, fugientibus, apparuisse. Vi-  
de *Gen.* III, 8. *seqq.* et praecipue *u.* 15. Hu-  
ius notitiam deinceps Adam filiis posteris-  
que suis, quasi per manus, tradidit. Qua-  
de causa DEus, quod in Christo generi  
humano praestitit, ἀπ' αἰῶνος, h.e. a mun-  
di exordio, per prophetas suos, locutus esse di-  
citur, *Luc.* I, 20. Et his prophetis nomi-  
natim Abelem, Adami filium, accenseri,  
uideas, *Luc.* XI, 50, 51. Sicubi uero glo-  
ria Domini, errore et negligentia homi-  
num, obscurari uidebatur, per nouas re-  
uelationes, certis temporum interuallis,  
subinde renouata, et confirmata est. Quod  
innuens Apostolus, *DEum πολυμερῶς ad*  
*patres locutum esse*, scribit, *Hebr.* I, 1. Cete-  
rum omnes illae reuelationum periodi  
cum ultimis prophetis, Haggaeo, Mala-  
chia et Zacharia, in V. T. finem habue-  
runt. Nota est Iudaeorum traditio, qua  
tres

tres hosce prophetas eodem anno, Darii Hystaspis ultimo, qui anno ante initium aerae Christi Dionysianae 486 respondet, deceſſiſſe, et post mortem eorum, Spiritū S. ab Israele diſceſſiſſe, affirmant. g) Quid

F 4

quod

g) Talmud. Babyl. tr. Sanhedrin. f. 11. ex ueteri traditione refert: *post mortem Prophetarum ultimorum, Haggaei, Zachariae, Malachiae, diſceſſiſſe Spiritum S. ab Israele* הַקְרָבָה רֹוחַ נָסָתֶלֶךְ Conf. Lightfoot T. II. opp. p. 225. Tempus emortuale horum trium prophetarum Seder Olam Zutha p. 109. ed. Meyeri Amst. 1699. his uerbis describit: *anno quinquagesimo secundo Medorum ac Persarum, qui est annus mundi 3442. mortui sunt Haggaeus, Zacharias et Malachias. Eo tempore ceſſauit prophetia de Israele.* Eundem computum sequitur, et explicat R. Dauid Gantz, in Zemach Dauid, p. 57. ed. Vorſt. Lugd. B. 1644. ubi: *Haggaeus, inquit, Zacharias et Malachias mortui sunt anno 442.* (puta millenarii quarti ab O. C.) et uocatur tempus obſignationis uisionis et prophetiae, quia iſto tempore deſiit prophetia in Israële. Dum uero Chronologi Iudaici, annum hunc totius imperii Persici, pariter ac regis Darii, ultimum esse, putant, imperite Darium Hystaspis cum Dario Codomanno, quem Alexander M. debellauit, confundunt, quod post alios nuper animaduertit H. Prideaux in Hist. Iud. et uicinar. nationum L. IV. p. 166. ed. Lond. 1717. f.

quod illa gloriae diuinae manifestatio,  
quae proprie Iudeis כבוד יהוה et שכינה dicitur, secundum eosdem, iam cum templo primo desit. b)

Sed

b) Ita R. Bechai in Sect. וַיַּגְשֵׁ (Gen. XLV.) a die, quo quieuit *Maiestas Diuina* (שכינה) in monte Sinai, in promulgatione legis, non recessit ab Israele, usque dum uastata esset domus sanctuarii prima. A quo autem tempore uastata fuit domus prima, non habitauit Diuina Maiestas in Israele. In libro Talmudico יומא sub finem capitil ad quaestionem, cur apud Haggaeum (cap. l, 8.) defectiue scribatur ואכבר, et legatur ואכברת respondetur: istae sunt quinque res (h. e. defectu literae נ, quae quinque significat, indicantur quinque istae res) quae fuerunt in sanctuario (sive templo) primo, et non fuerunt in sanctuario secundo, nempe Arca sacra cum operculo propitiationis et Cherubim, Ignis coelestis, Maiestas Diuina, (שכינה) Spiritus S. Urim et Thummim. Non possum hic assentiri Campedio Vitrunga, רוח הקדש et שכינה pro re eadem accipienti, et propterea uerbis ex libro Ioma citatis mendum inesse, suspicanti, atque adeo pro שמן המשחה substituenti שכינה oleum unctionis. Quamuis enim interdum uocabula ista רוח הקדש et שכינה latiori sensu accepta, inter se commutari soleant, ac utrumque sub communi reuelationis diuinae notione

Sed ita desiit, ut nihilo minus eius, ante excidium templi secundi, restituendae spes certissima supererisset. Nitebatur enim haec luculentissimis prophetarum uaticiniis, ut *Ez. LXI, 1*: *uenit lux tua, et gloria Iehouae* (כבוד יהוה) *super te oritur, et u. 2*: *super te orietur Iehoua, et gloria eius super te conspicietur.* ubi כבוד יהוה uersio Graeca, more suo, per δόξαν αὐγής, paraphasis Chaldaica, cum Iudeis, per שכינה expressit. *Hagg. I, 8. aedificate domum* (templum Hierosol.) *Hoc enim placebit, et glori-*

F 5 fica-

comprehendatur: tamen *in sensu stricto*, fatente ipso Cl. Vitrunga, Obs. Sacr. l. I. diss. 2. p. 157. ita differunt, ut *per* שכינה *significetur praesentia* siue gloria diuina, certo symbolo se manifestans populo, *per* רוח הקודש uero speciatim *DEVS* se manifestans (etiam sine symbolo eiusmodi externo et sensibili) *Prophetis inferioris ordinis.* Itaque ex constanti Iudeorum et Talmudistarum sententia, ut modo uidimus, שכינה cum templo primo desiit, sed רוח הקודש longe post templum primum excisum, in tribus ultimis prophetis adhuc superstes fuit. Plura Iudeorum, haec ita distinguentium, testimonia pridem collegit Buxtorfius in Lex. Talm. uoc. שכינה cuius pro contraria sententia argumentis laudatus Theologus Franckermanus non uidetur satisfecisse.

ficabor, (וְאָכַבֵּר) *dixit Dominus*: ad quae uerba annotationem Talmudicam paulo ante recitauiimus. *Zach.* II, 9. *ego ero illi,* (Hierosolymae) *dictum Iehouae, murus ignis circumcirca, et in gloriam ero in medio eius.* (וְלֹכֶד אֲהִיה בְּתוֹךְ) Gr. *eis δόξαν ἐσομαι εὐ μέσῳ αὐλής.* et u. 14. *Ecce uenio, ut habitem in medio tui, dictum Iehouae, וְשָׁכַנְתִּי בְּתוֹךְ* Gr. *καταστηνώσω εὐ μέσῳ σε.* Neque tantum ad Iudeorum, sed etiam ad gentium salutem, gloria illa Domini manifestari debuit. *Ez. XL, 5. Reuelabitur GLORIA IEHOVÆ omni carni. Conf. c. LX, 3. 4. seqq.*

Haec et similia uaticinia nusquam, nisi in Christo, impleta, reperies. Nam postquam uerbum caro factum est, tota plenitudo Deitatis in eo habitat, non ut olim in igne, nube, uel super arca foederis, παραστήτως et τυπιῶς, sed ὑποστήτως et σωματιῶς, *Col. II, 9. i)* Praeterea ipse hic Θεὸνθρωπος habitauit inter homines, *שָׁכֵן ἐκσήνωσεν εὐ οὐρανοῖς,* in-

i) In eandem sententiam Nic. Fullerus *Miscellan. Sacrorum* L. II, c. 4. *Humana, inquit, Christi natura longe excellentissime omnium, quae supra recensuimus, et quam maxime proprie, propter hypostaticam unionem, nomen יהשְׁכִינָה suo iure uendicat.* eodemque refert loca *Col. II, 9. et Job. I, 14.*

inquit Iohannes, cap. I, 14. conf. Apoc, XXI, 3. k) et subinde, in ipso etiam exinanitionis statu, gloriam suam manifestauit, de qua Iohannes, loco dicto, pergit: *et conspeximus gloriam eius, uelut unigeniti a Patre.* Adde omnino Ioh. II, 11. XVII, 1. 4. seqq. Matth. XVII, 1. 5. Luc. IX, 32. 2. Petr. I, 16. 17. Omnia uero primam huius gloriae Christi θεανθρώπων manifestationem, quae tot uaticiniorum de ea fidem implere coepit, merito dixeris illam, quae pastores Bethlehemiticos collustrauit, non sane ex solo splendore nocturno, oculos illorum perstringente, sed potissimum ex adiuncta beneuolae uoluntatis diuinæ, siue ἐυδοκίας ἐν ἀνθρώποις, Christi recens nati merito innixae, declaratione, aestimandam. Nam sicut ἐυδοκία haec a solo Christo, τῷ ήγαπημένῳ, nobis conciliata est, de quo uox e coelis pronunciauit: ὁτος ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός, ἐν ᾧ ἐυδόκησα, Matth. III, 17. ita eadem omnium maxime gloriam gratiae diuinæ Eph. I, 6. 12. 14. Quod ipsum argumentum est hymni angelici,

*Luc.*

k) συκονὴν τῇ Θεῇ μετ' αὐθρώπων hoc loco exprime re Hebraeorum שכינה, pridem obseruauit Bux torius in Lex. Talmud. sub hac uoce.

*Luc. II, 14. gloriam DEI, pariter ac hominum pacem, h. e. reconciliationem cum DEO (Conf. Eph. II, 14. et Col. I, 20.) ex ἐὐδοκίᾳ illa redundantem, celebrantis.* <sup>1)</sup> Hanc gloriam Domini, quam olim pastores Bethlehemitici, ac praeter ceteros deinceps Apostoli cognoverunt, et cognitam, ueluti testes ἀυτόντων, annuntiarunt, nos hodieque in uerbo DEI, tanquam in speculo, retecta facie cernimus, *I. Cor. Xll, 12.* atque ita cernimus, ut radiis eius colustrati et excitati, *Tit. II, 11.* a tenebris ad lucem conuerti, *Act. XXVI, 18.* cum DEO reconciliari, *2. Cor. V, 20. 21.* ad imaginem eius conformari et renouari, *Col. III, 10. Eph. IV, 23. 24.* tandemque ipsius gloriae Domini participes redi, *I. Petr. V, 1. Rom. V, 2.* ac tali modo ἀπὸ δόξης eis δόξαν, de gloria in gloriam transire, debeamus, *2. Cor. III, 18.*

O mi-

<sup>1)</sup>) Hymnum hunc Angelicum optime intelligas, si ἐὐδοκίαν εὐ αὐθεάπτοις pro subiecto sumas, et reliqua uerba pro praedicato. Benevolentia erga homines est gloria DEI in altissimis, et pax in terris. Nam καὶ interponitur inter δόξαν et εἰρήνην, non inter eas et ἐὐδοκίαν. Lightfoot in Horis Hebr. ad b. l. T. I. op. p. 497.

O miserrimos mortaliū, et suā ipso-  
rum saluti inimicos, qui, aut carnali qua-  
dam propriae sapientiae opinione inflati,  
diuinae sapientiae et bonitatis gloriam,  
*in facie Iesu Christi conspicuam, 2. Cor. IV, 6.*  
non agnoscunt, et pro stultitia reputant,  
*1. Cor. I, 20. 21.* aut prauis cupiditatibus suis  
potius, quam diuinae uoluntati, obse-  
quuntur! *epist. Iud. u. 10, 16. seqq.* Nam si  
*omnis praeuaricatio et inobedientia iustum*  
*mercedis retributionem accepit, quomodo nos*  
*effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?*  
*Hebr. II, 3.* Vos igitur, Ciues Academici,  
gloriam Domini, salutis nostrae causa, re-  
uelatam, reuerenter habete, et fide pariter  
ac obsequio colite, et ad uenerationem  
uestram testificandam, etiam DEI mini-  
stros, gloriam illam uobis annuntiantes  
munusculis, more maiorum, in ara repo-  
sitis; cohonestate. P. P. Festo Natiu. Chri-  
sti, A.  $\infty$  locc XXIII.

\* \* \*

*Carminis exemplum hoc est:*

Summos honores Numinis arrogat  
Psaphon sibi, proh, proh scelus impium!  
Puluis miser diuinitatem,  
Terraque cunctipotentis ausus.

Hanc

Hanc dignitatem solus adeptus est  
Bethlemicus tot prae maribus puer,  
Cum carne texit se Parentis  
Filius altitonantis aegra.

Solers canoras et Lybis alites  
Cantare carmen perdocet hoc suum:  
PSAPHON. DEVS. MAGNVS. canentes  
Sicque sinit reuolare in auras.

His fraudibus non indiget omnibus  
Iessaeus Heros, astra canunt Eum;  
Et coelites, Regesque terrae,  
Grexque simul uigilum bubulum.

Sic liberatae mox uolucres docebit  
Clamare cunctas et reliquias: DEVVM  
PSAPHONA. MAGNV M! post patentem  
Per Lybiām celebratur iste.

Te terra, coelum, Te mare praedicat,  
Iessaea proles, Te celebrat DEI  
Natum potentis, Filiutique;  
E gremio genitum Mariae.

Diuiniorem cum Lybies putant  
Faniam coortam, credere fabulam  
Psaphone de magno Deorum  
Incipiunt socio facetam.

Oraculorum robore uiuido,  
In literarum fontibus obuio,  
Existimamus credimusque,  
Te, Patre coelipotente, natum.

Pla.

Psaphona, numen ceu, Lybies colunt,  
Illique honores, thuraque, deferunt,  
O fraudibus fictum, improboque  
Consilio, miserumque numen!

Nos Te precamur, Tb colimus piis,  
Iessaee, uotis, Tv DEVS AC HOMO,  
Et nostra nosti damna uitiae,  
Atque potes reuelare solus.

Quod thus Eoum sufficiet TIBI  
Quae uictimarum nos adolebitus  
Incensa? menteis en fideleis  
Cordaque sacrificamus ipsa.

HAEC·DONA·CIVES·PROMITE PECTORE  
MECVM· PARATO RELLIGIOSIVS  
ET· GRATIAS· CHRISTO· BENIGNO  
SOLVITE· PROMERITISQVE· MYSTIS

P. P  
NATALI SERVATORIS SACRO  
ANNO CCCCXXIII

\* \* \*

Die 29. Decembr. uentilabatur *dissert. poster. de anima sibi ignota Sectio II.* praeside M. SAM. CHRIST. HOLMANNO, Sedin. Pomer. et Respondeente IOANNE OPITIO, Berndorp. Silesio, pl. 2.

Hic §. I. animam non solum quomodo corpus moueat, sed et, ubi motum incipiat, ignorare afferitur, u. g. quando corpus hominis meditabundi et mensae assidentis se iam mouere et alleuare incipit, ubi quo in membro corporis primum anima impletum

sum faciat, ignorat. §. 2. ostenditur ex his inter alias difficultatibus exortum esse Systema causarum occasionalium, cuius autorem Cartesium esse euincitur. In hoc Systemate animam corpus mouere negatur, sed DEo omnis motus adscribitur, qui occasione solum animae eiusque uoluntatis corpus ipse moueat: unde et nomen, *occasionalismi* exortum. §. 3. praecipui huius Systematis assertores, *Ludouicus de la Forge*, *Malebranchius*, *Bernb. Connor*, *Christoph. Wittichius*, *Petrus Bailius* et in primis *Job. Christ. Sturmius* allegantur. §. 4. ex Sturmio sententiam Cartesianorum a sententia quorundam Scholasticorum imprimis Gabrielis Bielis, diuersam esse, obseruatur, adeoque male fecisse B. Grapium ostenditur, quod in *Theol. recens controv. contin. cap. II. qu. 3. p. 47.* id Systemati huic in genere tribuit, quod tamen ex scholasticorum solum sententia forsan sequeretur, Cartesianis autem nunquam in mentem uenit §. 5. aliis adhuc notatur error, ab ipso cl. Bulffingerio in commentat. eius hypothet. de harmonia animi et corporis humani prae stabil. p. 15. etiam admissus, quo putatur quod DEus, iuxta hoc Systema, actibus semper nouis agat, cum tamen Sturmius l. l. c. c. expressis uerbis contrarium affirmet. §. 6. huius Systematis nonnulli recensentur aduersarii, aut eius saltēm defensorum, ut Petrus Iurieu Malebranchii, quem et Antonius Arnaldus aggressus est et Sturmii Gunth. Christoph. Schellhammerus, ipsius autem Systematis Stairius, du Hammel, de Vriel, Grapius Buddeus, §. 7. Cartesianorum expenditur ratio, qua animam

Cor-

corpus mouere posse negant, quia Spiritus idem mouere nequeat. ostenditur enim nec Deum sic idem mouere posse, quamvis sit infinitus, quod tribus rationibus confirmatur. In specie etiam ad Sturmij argumenta respondetur. §. 8. male facere illos ostenditur, qui iuxta hoc Systema perpetua fieri miracula scribunt, quo ex recentioribus celeb. *Wolfius* et cl. *Bulffingerus* spectant, quibus et ipse *Leibnitz*, uariis in locis addi potuisset. Constituerat etiam auctor, si per pagellarum angustiam et alias circumstantias licuisset, ostendere, Deum iuxta hoc sistema non fieri causam peccati, adeoque et ab hac imputatione idem liberare. Sed ad aliam illud occasionem differt. §. 9. pauca de Systemate harmon. praest. auctor monet atque de eo acturum se postquam sensuum doctrinam explicaverit, promittit, §. 10. tandem, qui et hanc sectionem finit, animam sibi ignotam esse ex unoquoque horum systematum probare posse ostenditur.

\* \* \*

Die 14. Ian. 1724. Memoriam B. LAEVINI ADOLPHI MARESCHALLI, huius Academiae et Fautoris et Benefactoris celebravit Academia nostra oratione solenni in panegyri a docto quodam Iuris Cultore et Alumno beati illius Euergetae habita ad quam audiendam Magnisius Dominus Rector Ciues Academicos sequenti programmata inuitauit. Quod B. L. uerbotenus habe:

IN R. I. H. DE HEVCHER.

G

Ca.

**C**Arum nobis et commemorabile nomen est LAEVINI ADOLPHI MARESCHALLI. Quod etsi, in suis innixum uirtutibus, decoris altius arcessiti non egerit, tamen ab ipsa sui origine, perantiqua certe, auctoritatem capit. Constat autem, *Marescallos* et *Marschalcos* a praefectura rei equestris dici, uetusto Germaniae uerbo, quod aliae gentes, cum Francis Anglisque a Germanis profectae, retinuerunt, aliae ab iisdem, populorum uictoribus, acceperunt. Quae quidem rei equestris cura tanti semper est habita, ut, in Legibus Salicis, haec ipsa numeretur in ministeriis magnae domus, in Regum uero Franco-rum regia *Marescallus* summa quadam amplitudine censeatur. Huius enim imperio parent nobiles uniuersi, milites, equitatus, ipsis denique bellicis expeditionibus praeficitur hic idem. In ueteribus historiae Francicae monumentis alio nomine *Comes Stabuli*, unde manauit corruptela *Comestabilis* et *Connestabilis*, uocatur, ab ipsa quidem dignitate, Romanis similiter Palatiis celebrata, in quibus *Comes Sacri Stabuli* locum, honoris plenum, obtinebat. Compertum enim habemus, ex Romanorum Byzantinorumque Imperatorum institutis cum alias a Francis Germanisque ascitas fuisse dignitates, tum hunc ipsum *Stabuli Comitatum*. Sed illud tamen mori Francico dandum est, ut per *Stabulum* ipsa simul statio militaris Regiorumque castrorum intelligatur. Ceterum potestati *Marescallorum* amplificatae *Praefectus Praetorio* proprius respondebat. Ex dignitatibus illis, quae publicum priuatumque splen-

splendorem sustinerent, orta sunt summa Imperii munera, quae sic administrari consueuerunt, ut ex quinque populorum Ducibus unus legeretur Rex, ceteri muneribus illis fungerentur. Hinc ipsa dignitas *Archimareschallatus*, quae etsi latissime patet, tamen ad rem quoque equestrem, equestrisque ordinis ductum, in primis refertur. Namque, ut reliqua Imperii solemnia taceam, bello aduersus Imperii hostes suscepto, *Mareschallus* sicut, praelato Imperii ense uexilloque, et omnes anteit Imperii Proceres, et orditur proelium, sic antiquitus eidem duo dabantur equi, alter praecurrenti, alter proeliandi, caussa. Sunt, ordinationem munerum si respicimus, notae in uulgs tabulae, quae, Goldasto auctore, Carolo Crasso, sed exploratius Conrado II, tribuuntur. Porro consultum est Imperii honori, cum alii praeterea Principes et alias Imperii dignitates in aulas suas reciperent, et ipsum simul *Mareschallatum*. Non dixerim, quid hic datum sit aemulationi. Eo certe magnificentiae apparatu Proceribus ceteris Antistites haud cesserunt. Mitto *Marschalum Ecclesiae Moguntinae*, quem Thuringiae Landgrauium diplomata, Sagittarianae industriae non oblata, uocant, uerum, nulla Thuringiae uniuersae ratione habita, sed, paucularum tantummodo clientelarum, quarum ius iam pridem, ipsa denique Erfurtensi pactione, extinctum est. Praetereo cum *Mareschallos* alios, tum illos, qui gentilitio Bachtebrogiorum et Croneburgiorum nomine esserunt, Antistiti quondam Bremensi officio, unde

nominantur, deuincti. Attingo, exempli insignioris gratia, Antistitem D. Galli, cui sicut *Dapifer*, *Pincerna*, *Camerarius*, in aula Imperatoris, ubi Princeps creatur, apparent, sic *Mareschallus*, ut tradit Goldastus. Nec uero minus Prouincialibus Thuringiae Comitibus, uti uocantur in ipsis Numis, *Mareschalli* adsunt sui. De quorum tamen partim origine, partim munere, dubitatur. Cum Laurentio Peccensteinio rationes a munere *Pincernarum* si conficienda sunt, hoc fuerit Imperii munus. Sed id nemo dederit, qui norit, in Literis fide dignis *Pincernas Landgrauii* tantum dici. Ex ea re proprius fidem est, id officii praestitum fuisse *Landgrauio Thuringiae*, sic, ut nihil impedit, quo minus hic honos ei habitus sit ab Imperatore, quo splendor Comitis Prouincialis externo quodam cultu augeatur. Ortus huius dignitatis hereditariae redigendus uidetur ad ipsa Ludouici III. tempora, cui, altius electo, Lotharius Imperator *Pincernam de Varila seu Vargula*, *Dapiferum de Schlotheim*, *Camerarium de Vanre*, *Marschalcum autem de Ebersberg*, addidisse memoratur. Sub id certe tempus Heinricus Marschalcus de Ebirburgk, in ipsa Landgrauii aula, celebratur, pluresque *Marschalci de Ebersberg* testes citantur in diplomatibus, perinde, ac deinceps *Marschalci de Gosslerstedt* occurunt. Sic munus, parentum meritis delatum, transit ad posteros, cum nomine, cum uirtute aucta, quorum neutrum in hac ipsa illustri *Mareschallorum* gente, in Laequino maxime Adolpho, obsoleuit. Quicquid

erg. 1724.  
go, exemplis  
i, cui sisur.  
Imperatoris,  
Mareschallus, u.  
Prouincialibus  
ntur in ipsis  
uorum tamem  
atur. Cum la  
nunere Pintura  
Imperi munus  
in Literis fidu  
dici. Ex ea  
cum fuisse Lan  
diat, quo min  
atore, quo si  
quodam cult  
is hereditatis  
ci III. tempore  
erator Pintura  
de Schloben  
um autem de l  
Sub id censu  
burg, in quod  
Mareschallus  
atibus, penit  
ede occum  
tum, transfe  
tute aucta  
reschallorum  
obsoletum  
quid huius est, exponet latius *Ioannes Adam Kirchnerus*, Vfhouia Thuringus, pietate, qua *Mareschalliana* tenetur beneficentiae, excitatus, atque hoc ipso memoris animi studio nihilo minus, quam moris humanitate, diligentia, doctrinaque, nobis non mediocriter probatus. Dicturus est *crafino*, ab hora IX. matutina, in Acroaterio maiore, quo, auscultatum beneuole, ut conuentu frequenti confluatis, uos, *Ciues*, hoc minus uerbis amplioribus hortandos, ducimus, quo magis huiuscmodi coeptis, ut bonos decet, studere consueftis. P. P. anno recuperatae Salutis clo locc xxiii. a. d. xix. Calendas Ianuarias.

\* \* \*

Die 16. Ian. Decanus ordinis Philosophici in Academia Vitembergensi MART. GOTTHELF LOESCHERVS Phil. et Med. Doctor, Phys. Prof. Publ. Ord. Med. extraord. Sereniss. Ducis Saxo-Vinar. Physician Prouincialis atque h.t. imperiali auctoritate constitutus Comes Palatinus Philosophiae et artis Poeticae Candidatos amice monuit, ut in tempore nomina sua profiteantur, qui instante 29. April. honores illos capessere uelint. Huic autem monito praemisit elegans, quod sequitur, programma :

**Q**uoad ego equidem animum ad Philosophiam praecipue Naturalem, quam auctoritate Regia in hac Academia doceo, appuli, illud mihi maxime curae cordique fuit, ut hanc praestantissimam humanae sapientiae partem, et ad Rempublicam, et ma-

xime ad diuinitus nobis in sacro codice reuelata accommodarem. Ex quo factum est, ut horum peruersum philosophandi modum summopere semper sim aduersatus, qui sibi nimium tribuunt, alios prae se contemnunt, atque nae intelligendo faciunt, ut nihil intelligent, nugas potius agant, eisdemque res diuinas, diuina neglecta reuelatione, inuestigare et exponere non erubescant. Nam, Philosopho Christiano illud maxime negotii datum esse, existimo, ut Naturam summa cum diligentia, et attentione, intueatur, inuestiget atque exploret, in eademque uestigia summi et omnipotentis Conditoris, quanta potest animi contentione, persequatur, omniaque, sibi obuia, seculo cum diuina scriptura conciliet. Nimis uero prolixum foret, omnia in praesenti disputare, quae ex rerum naturalium scientia, ad illistrandam Sacram Scripturam, possunt desumi, et quae impie saepius ac petulanter a multis et detorquentur et explicantur. Vnicum itaque tantummodo Exempluu in medium proferam, ostendens, quam optime ea, quae in sacris literis consignata sunt ad naturam spectantia, cum illa ipsa conuenire. Constat inter omnes, quantum ibidem extet irae diuinae testimonium, nempe diluuium uniuersale, quod ab aliis etiam maximum appellatur. Quem tamen fugit, dari nonnullos, qui uel illud prorsus negant, uel tantum, non uniuersale fuisse, contendunt, quos ipsa redarguit rerum naturalium etiam praesens constitutio. Non opus erit, cumulare omnia eius rudera in toto globo terraquo, terra, qui uulgo appellatur

Iatur conspicua, eademque hoc loco recensere, de quibus egit TH. BVRNETIVS *Theoria Telluris Sacra*, nec non IOH. WOODWARDVS *Specimine Geographiae Physicae*, praesertim cum multa eorum cautione omnino indigeant. Neque nostram facimus opinionem, quae, omnes montes ex diluvio uniuersali originem suam habuisse, cum Burnetio adstruit. Licet enim ad probationem huius sententiae dicant, potuisse aquarum diluvianarum uim, terram excauando, ualles, et terrae excauatae molem ad modum alluvionis aliunde transferendo, montes producere, nihilominus tamen a posse ad esse non ualet consequentia. Et si quidam montes etiam exinde sunt orti, quale Exemplum apud SCHEVCH-ZERVM *Oreographia Helvetiae* relatum legimus, qui in Montibus Alpinis ingentes satis rupes, ex conchis aliquaque marinis corporibus coagmentatas obseruat, iuxta eius opinionem a diluvio uniuersali ex fundo maris huc proiectas, tamen a particulari ad uniuersale nulla firma et ualida procedit argumentatio. Accedit, quod montium insignis semper sit in terra utilitas, et hinc summa necessitas. Dant enim ortum fontibus et fluminibus, atque in iisdem plantae peculiares progerminant, nec non metalla generantur, et multum denique ad regionum salubritatem, ornatum, aspectumque faciunt, ut elegantissima Scripturae Sanctae, eorum existentiam ante diluvium egregie confirmantia, testimonia taceamus. Silencio etiam praeterimus uana illa, quae uulgo narrantur de Iride Antediluviana, ab iis, qui illam ipsam signum remotuum quasi et non amplius reddituri di-

Iuuui maximi esse, nouitatis pruritu commoti, inficiantur. Sunt enim ante pedes optima, evidentissimaque uniuersalis diluuii monumenta. Prouocamus ad lapides durissimos et solidissimos, in quorum intimiori substantia, pisces, conchas, conchylia aliaque marina recondita, uel quoad totam suam substantiam, uel figura elegantissima, expressa et comprehendimus et admiramur. Possideo ipse conchas petrefactas, ex gremio terrae effossas, nec non conchites, pectinitesque durissimis lapidibus inclusas, et uel in profundioribus terrae cauernis, uel altissimis montium cacuminibus inuentas. Possum quoque demonstrare Ichthyolithos, seu lapides pisces in se continentes, quales multi in uariis Germaniae regionibus et maxime Thuringia in lapide scissili obseruamus, de quibus nullum est dubium iuxta saniores Physicos, quin existant uniuersalis diluuuii testimonia. Memoriae etiam prodidit PETRVS WOLFARTVS Institutionibus *Phys. Experimental.* et peculiari *Tractatu Hassiam uberrimum largiri eiusmodi lapidum prouentum*, atque qui collectionem quandam eorum desiderat, maxime ex montibus Heluetiae petitorum, ille adeat IOH. SCHEVCHZERI *Historiam Helvetiae naturalem, Descriptionem Itineris Alpini Physico-Medici, et Musaeum Diluuianum.* Atque adeo haec hactenus allata mihi ita comparata esse uidentur, ut is omni lapide durior vocandus sit, qui haec testimonia, omni exceptione maiora negare uel in dubium saltem vocare audeat. Quod si uero aliquis occurrat, forsitan eiusmodi corpora marina ex Oceano per canales subterraneos ad nostras penetrasse

regiones, atque naturam lapideam induere, seu naturae uirtutem formatricem tales efficere lusus; ab illo efflagitamus, uelit demonstrare, quo pacto haec corpora ex canalibus subterraneis possint adire altissima montium iuga, et quod non uera ac genuina sint marina corpora, sed a natura tantummodo hac figura ornata, quae et quoad formam externam, et internam, seu naturalem constitutionem, uerosimilius ad marina, quam mineralia, referuntur. De re liquo ipsa, quam pedibus conculcamus, terra, si conjectuae locus est, non obscura nobis ob oculos ponit diluuii uniuersalis rudera. Si enim exteriorem eius partem paulo accuratius contemplamur, obuia nobis est elegantissima, ex quibus constat, stratorum uarietas, quae uel arenam, uel limum, uel argillam, uel terram rubram, gypseam, cretaceam, uel duriorem lapideam, marmoream, metallicam, maxime in profunditate, exhibit faciem, uidelicet ab inundatione aquarum productam et uarie permixtam. Quo loco notandum, et eos, qui uineas elaborant, ipsosque agricolas effodere et exarare ex superficie uinearum et agrorum, multos lapides silicos, pyrites quos uocamus, quorum similes et affines in fundo maris reperiuntur, qui forsitan ab aquis diluianis in generali inundatione globi terrauei, ex profunditate maris, ad superficiem terrae sunt adueti. Atque ita ex his omnibus hactenus adductis relinquitur, quomodo procedere debeamus, si sententia dicenda est, de rebus naturalibus in sacris literis obuiis. Diligenti enim naturae Scrutatori nunquam deerunt argumenta ex ipsa natura petita, qui

bus ea quae ibidem naturalia afferuntur, ob oculos  
quasi ponere, et luce meridiana clariora reddere pos-  
sit. Sed haec latius persequi, instituti mei ratio prohi-  
bet. Significandum enim est, appropinquare tempus,  
quo ex decreto Amplissimi Philosophorum Ordinis,  
more institutoque maiorum, honores summi tum  
in Philosophia, tum in Arte Poetica, illis conferendi  
sunt, qui bonis literis sedulam hactenus operam na-  
uantes, felices in eruditione fecerunt progressiones.  
Quapropter Vos, Optimi, Clarissimi Nobilissimique  
Philosophiae et Artis Poeticae Candidati, ea, qua par  
est, humanitate inuitio. Agite, nomina uestra ma-  
ture, ut omnia recte peragantur, profitemini, atque  
honores, iura, immunitates, priuilegiaque, tanquam  
praemia eruditorum Vestrorum laborum studiorum-  
que feliciter exantlatorum et absolutorum, me ac-  
curante, die XXIX. Aprilis praesentis anni capessite.  
Viris laude dignis eiusmodi debentur honores, uirtu-  
tum praemia, atque gloriae amplificationes. Ita-  
que magna animi contentione ut uobis omni laude,  
honoreque exornandis, uirtutis et eruditionis in-  
signia praebeam, me accingo, atque inter maximam  
felicitatis meae partem repono, quod Vobis honores  
in Philosophia et Arte Poetica Summos decernere  
mihi liceat. Honor enim alit artes, grauiter pro-  
nuntiante Oratore Romano Cicerone, omnesque  
incenduntur ad studia gloriae. DEus uero Immor-  
talis iubeat, ut omnia, quae a nobis geruntur, fausta  
felicia atque fortunata sint, atque cum magno Rei-  
publicae Literariae augmento et emolumento bene  
feli-

feliciterque eueniant. P. P. Dominica II. post Epiphani. A. O. R. M DCC XXIV.

\* \*

Die 21. Ian. de Mandato Caesareo Regio de dato VVratislau. d. 18. Nou. A. M DCC VI. ultra familiae commissa ad alias ultimarum uoluntatum substitutiones in Silesia non extendendo Praeside D. GODOFR. LVD. MENCKEN, P. P. Curiae Prouinc. Scab. Facult. Iurid. Consist. Eccles. item et Iudicij, Ducalis in Marchionatu Lusatiae inferioris Assessore publice edisseruit M. AMBROS. GOTTOLOB VVOLFF, Hermansd. Goerliz Lusat. Vit. Lit. Creusigianis plagg. 2½.

§. 1. Generatim, in Silesia Ius Bohemicum regulariter non ualere monet atque euincit auctor, §. 2. potius Iure prouinciali deficiente primum ad Saxonicum idemque commune deinde Romanum denique ad Canonicum Ius recurrendum esse, contendit, idque §. 3. ulterius probat tum a terminis ex Iure Romano adoptatis, tum a consensu utriusque Iuris et Silesiaci et Saxonici, tum etiam a prouocatione eo in casibus dubiis facta, cuius rei exempla in not. sub lit. e subiungit. §. 4. proprius ad rem accedit, et in materia substitutionis siue directae siue fideicommissariae utrumque Ius Saxonicum et Ciuile parum a se inuicem discedere monet, nisi quod in substitutione pupillari matri et auiae, legitimum relinquat iubeat P. 3. Const. El. 8. et Dec. El. 47. §. 5. In Silesia substitutiones nullo graduum habito discrimine fieri posse concludit utpote in Mandato superius citato

citato et in fine Dissertationis subiuncto non prohibitas, quod quidem Mandatum sola familiae fideicomissa improbare, §. 6. docetur, et quae obstat ipsi videbantur in medium adfert, et §. 7. remouet auctor, et ad ipsum Mandatum, quod non nisi de fideicommissis familiae loquatur, perpetuo prouocat. §. 8. In rationes, quae mouere Legislatorem potuerint ad prohibenda fideicomissa familiae inquirit, et nonnullas adducit, §. 9. cum Leges Silesiae familiae fideicomissa prohibentes solius testamentariae dispositionis mentionem faciant, quaerit, an illae ad codicillos quoque sint extendendae, quod primum ipsi negandum uidetur, maxime quod prohibitio isthaec odiosa sit et hinc magis constringenda quam extendenda. Tandem uero §. 10. affirmat quaestionem et fundamentum ex ipsius Mandati quod citauimus uerbis generalibus expetit. Tandem §. 11. sola fideicomissa familiae in Silesia interdicta cetera omnia sustineri censenda esse, innuerat, et §. 12. colophonem addit Dissertationi cui praeterea Mandatum, quod interpretandum sumvit, subnectit.

\* \* \*

Die 27. Ian. M DCC XXIV. cadauer masculinum, Torgauia huc allatum, in Theatro Anatomico dissecari coepit, quod Programmate, in quo Mandatum Regium, Studii Anatomici in Saxoniae Academiis excolendi causa exaratum, indixit ABRAHAMVS VATER, D. et PP. Anat. et Botan. Substitut. ut et Societat. Imp. Nat. Cur. et Reg. Britann. Socius, qui in

in dicto cadauere ductum sanguinem nouum in lingua,  
ab ipso inuentum, denuo publice demonstrauit.  
Programma typis expressum sic se habet:

**N**on sane de nihilo sunt, inter alia, illa signa, quae  
Medici ad sedem morborum internorum dete-  
gendam, e symptomatibus desumere solent, quia  
actione laesa, necesse omnino est, ut uiscus, quod isti  
praeest, patiatur, siue ob uitium domesticum, siue ali-  
unde communicatum. Fit tamen non raro, ut actio-  
ne licet uisceris cuiusdam uitiata, nulla tamen ma-  
nifesta labes, sectione post mortem instituta, in illo  
inueniri queat. Quem enim fugere potest, in Asth-  
maticis atque de phtisi suspectis, pulmonem; in Epi-  
lepticis, Apoplecticis, Melancholicis atque Mania-  
cis, cerebrum; in lipothymia ac cordis palpitatio-  
nibus affectis, cor; in cachecticis, hydropicis atque  
ictericis, hepar, sana, uel minimum nullo praecipuo  
uitio laborantia inueniri. Ita omnino est, uiscera  
haec non semper per se, sed ob harmoniam exquisi-  
tissimam cum reliquis interdum per consensum pa-  
tiuntur, laesiones quoque eorundem non ubiui-  
tales sunt, quae in oculos incurvant. At enim  
uero, admiratione non minus dignum est, in sectio-  
nibus cadauerum, uiscerum interdum haud leues re-  
periri depravationes, a quibus tamen functiones eo-  
rum in hominibus istis, durante uita, uix sensibiliter  
laedebantur. Inuenimus nos saepissime pulmonis  
lobum alterutrum, imo utrumque cum costis et  
pleura, imo etiam cum diaphragmate et pericardio  
haud leuiter concretum, quamobrem liber eius mo-

tus non potuit non impediri, cum tamen non constaret, illos, quoad uiuerent, de spirandi difficultate conquestos fuisse. At memoratu dignius exemplum praebuit nobis nuperime miles, quinquaginta circiter annos habens, in cuius corpore, non tantum polypus cordis in arteria pulmoni notabilis, sed etiam hepatis praegrande, illudque totum, quantum erat, in abscessum enormem mutatum, oculis nostris se exhibuit. Hoc ob magnitudinem insignem, non tantum maximum in abdomen spatium occupabat, sed etiam pondere suo, diaphragma uersus thoracem urgendo, huius dextram cavitatem adeo angustam reddebat, ut lobus pulmonis, ad superiora protrusus, ac costis praeterea connatus, imo quoque cor, ad sinistrum latus depresso, imprimis decumbendo, liberum motum exercere haud potuerit. Vir tamen ille habitu corporis robusto et athletico praeditus, ac durioribus laboribus assuetus, sine incommodi sensu seruitia sua praestitit, labores quo sunque suscepit, ac per plures annos nullum morbum expertus est. Incidit uero iste, breui ante obitum, in fluxum alui cruentum, qui imposita tandem decumbendi necessitate, accidente insuper hemiplegia dextri lateris, tertio a decubitu die, ipsum e uiuis sustulit. Credendum uix est, hepatis corruptionem enormem, durante ultimo morbo factam esse, quia hoc sine inflammatione praecedente fieri non potuisset, cuius tamen ne minimum adsuit indicium. Id autem ueritati admodum simile uidetur, uirum duriori uitae generi assuetum, corporis sui curam non habuisse,

nec

nec symptomata antegressa attendisse. Illud certe admiratione dignum, in tanta uiscerum nobiliorum labe, nulla cachexiae atque hydropsis signa apparuisse, cum saepe in asciticis atque hydrope defunctis hepar ac reliqua uiscera magis integra obseruentur. Sed de hoc in praesenti fusius agendi non est locus, sufficit, quod ex eo manifestum euadat, quanta interdum uiscerum uitia, in corpore latentia, post mortem in lucem protrahantur. Nihil igitur ad Artem salutarem excolendam magis facere existimandum, quam diligens cadauerum humanorum, imprimis morbis defunctorum, perscrutatio, cui uel soli, quicquid in cognitione morborum profectum hactenus fecimus, relatum ferre debemus. Hoc nomine dignis laudum encomiis celebranda REGIS nostri POTENTISSIMI cura, in promouendis artibus ingenuis incomparabilis, CVI posteritas gratias infinitas decernet, quod, ad studium Anatomicum in Saxoniae Academiis melius excolendum, nouo mandato iusserit clementissime atque uoluerit, ut cadauera non tantum morte multatorum sed etiam sibi ipsi uiolentas manus inferentium, et mortuorum repertorum, ut et morbis defunctorum in Theatro Anatomico cultro subiiciantur. Dignissimum est mandatum Regium, quod, ut ad exterorum quoque notitiam perueniat, ex Tabulis publicis hic repetatur.

*Von*

Von Gottes Gnaden, Friedrich Augustus, König in Polen, etc. Hertzog zu Sachsen, Jülich, Cleue, Berg, Engern und VWestphalen, etc. Chur-Fürst, etc.

**L**iebe Getreue, Wir haben schon vormahls an die Beamten Unsers Chur- und Leipzigischen Creysses, zu deren fernerer behörigen Verfüigung, daß alle darunter einbezirckte Obrigkeiten, Aemter, und Städte, welche mit denen Ober-Gerichten, und der Criminal-Jurisdiction belieben, wenn sie einen, zum Tode, durchs Schwerdt, oder Säckung, verurtheilten armen Sünder abthun zu lassen, Vorhabens, der Medicinischen Facultät zu Leipzig und Wittenberg, oder dem Aanatomico, solches notificieren, und dergleichen Cadauera von denen gerechtfertigten Ubelthätern, auf Verlangen, ohne Auswürckung eines neuen Befehls, iederzeit an dieselben, iedoch, daß die Abholung auf der Facultaet Kosten geschähe, zur Secir- oder Anatomirung abfolgen lassen, zugleich auch denen Doctoribus derer Medicinischen Facultaeten, sich bey denen Obrigkeiten, ob peinliche Rechtfertigungen beuorstünden, erkundigen zu dürfen, uerstattet seyn sollte, unterm 6 Jul. des 1716 Jahres anbefohlen; Nachdem uns nun nachgebends D. Abraham Vater, Professor Publicus zu Wittenberg, um Extension sothauer Unserer vorhin ertheilten Verordnung allerunterthainigst angelanget, und wir dessen Suchen, zu besserer Untersuchung und Curirung derer Krankheiten, auch neuen Entdeckungen in Anatomicis, Beförderung derer

Stu-

IN R. I. H.

Studien, und Aufnehmen Unserer Uniuersitaeten ge-  
reicht, statt zu geben, gemeynet, auch dergleichen  
Sectiones und Anatomien auf alle Weise facilitiret,  
und befordert wissen wollen; So haben Wir für nöthig  
befunden, nicht nur obige Unsere Verordnung hier-  
durch zu uerneuern, sondern auch solche auf die, in  
mehreren Creyffen, als dem Bezirck des Chur-und  
respectiue Leipzigischen Creyses, durchs Schwerdt  
oder durch Säckung hingerichtete Ubelthätere, inglei-  
chen auf die, so durch den Strang hingerichtet, und ab-  
genommen werden; Nicht weniger auf die Ertrun-  
ckenen, oder todgefundenen in andern Creyßen, wor-  
unter iedoch personae honoratiores nicht mit zu uer-  
stehen, und, wenn zumahl dererselben Weiber und  
Kinder, oder andere nahe Anuerwändten, um deren  
Begräbniß ansucheten; Denn ferner auch auf die  
Maleficanen, so im Gefängnisse sterben, und auf Leu-  
the, die aus Verzweiffelung und Ruchlosigkeit, nicht  
aber aus Melancholie, sich selbst entleiben, zu exten-  
diren, und, daß solche Körper auch aus andern Crey-  
ßen, der Uniuerſität, so am nechsten gelegen, und dar-  
um ansucht, unweigerlich abgefolget, denen Facultati-  
bus Medicis auch, die Sectio et Inspectio Viscerum  
armer Leuthe, so in Hospitalern und Krancken-Häu-  
fern gestorben, oder deren Freunde, die Begräbniß-  
Kosten aufzubringen, nicht uermögend sind, iedoch nur  
zur bloßen Section und Demonstirung derer Visce-  
rum, nicht aber zur uölligen Anatomirung, und sie  
zu dem Ende auf einige Tage in das Theatrum Ana-  
tomicum bringen, nachgebends aber selbige, dem ge-

IN R. I. H. DE HEVCHER.

H

tha-

thanen Erbiethen nach, auf der Facultät Kosten beerdigten zu lassen, uerstattet werden solle, und möge, hiermit zu uerordnen, und anzubefehlen, gestalten Wir denn auch wegen Abfolgung derer bey der Miliz durch den Strang hingerichteten Ubelthäter, so nach der Execution abgenommen werden, an Unsfern General-Feld-Marschall, dirigirenden Cabinets-Ministre, würcklichen Geheimden Rath, und Geheimden Kriegs-Raths-Praesidenten, Grafen uon Flemming, besonderen Befehlin Gnaden ergeben, und denen beeden Facultaeten deshalb ein Decret ausfertigen lassen;

Und ergehet diesemnach hiermit und krafft dieses, an Unsere Beamten, auch Schrift und Amts-Sässige Obrigkeit uon Ritterschafft und Städten, welche oben angeführter massen, mit denen Ober-Gerichten, und der Criminal-Jurisdiction belieben sind, oder solche uon Unsertwegen zu exerciren haben, Unser ernster Wille, Meynung und Befehl, sich nach obigen allen gebührend und genau zu achten, auf die darinnen uorgeschrifbene Art, denen angeregten beeden Medicinischen Facultaeten, zu der hierbeyführenden guten Absicht, behülflich und beforderlich zu seyn, und darzu bey dergleichen uorkommenden Fällen, das nöthige bekörig, ungesäumt, und binlänglich zuuerfügen, Als woran Unser Will und Meynung uollbracht wird, Datum Dressden, am 12 April. Anno 1723.

Heinrich von Bünau,  
Ioh. Christoph Günther, S.

Vestrum nunc est, Committones Suauissimi, ut Regiam hanc Clementiam in utilitatem uestram

uer.

ueratis, studiumque meum, in excolenda scientia Anatomica, Medico tantopere necessaria, diligentia uestra excitetis. Non deerit enim nobis impostorum occasio, cadauera humana quam plurima quotannis dissecandi. Vale L B. et Fau. Dabam ex Museo d. 27. Ian. M DCC XXIV.

\* \* \*

Die 16. Febr. habita est *dissert. poster. de anima sibi ipsi ignota Sect. 3.* Praeside M. SAM. CHRIST. HOLLMANNO, Sedin. Pomer. et Respondente CHRIST. BENI. ZIHN, Arnstad. Thuring. plagg. 2. et dimidia, quam mulcta redimere Praesidem oportuit, quod truncari ultimis §§. Sectio haec non poterat. const. §§. undecim, ex quibus

§. 1. de *sensitiua* facultate agere incipit, et animam quoad haec, ignotam sibi iterum esse in genere ostendit, in specie §. 2. euincit, ignorare animam, *quod* sentiat quod paradoxum quidem initio uideri poterat, uerum tamen auctor satis accurate demonstrat, monet enim, actionem totius subiecti cum actione alterutrius partis non esse confundendam. Quoad prius concedit, conscientiam sibi totum hominem esse, se sentire, idque neminem, nisi ineptissimum scepticum, negare affirmat; quoad posterius autem negat, animam, ut corporis contradistinctam hominis partem, scire se sentire, siquidem alias id, quod suum est in sensationibus nosset §. 3. negatur animam scire, *quomodo* sensationes suas perficiat. Id ut eo clarius patesceret, explicatur paucis, quot sensus sint,

H 2

et

et qui sint, recensentur tria omnis sensationis requisita 1) obiectum externum eiusque organa sensoria actionem 2) motus, in iisdem organis facti, ad cerebrum continuationem et 3) animae perceptionem: atque §. 4. monetur, circa ipsa illa prima duo in primis autem secundum requisitorum iam multas et insuperabiles fere occurrere difficultates, u. g. quomodo imagines obiectorum ex tunica oculi *retina* dicta, quae integro saepius neruo optico maiores sunt, per eundem tamen neruum, qui non communi quodam ostio pateat, sed ex tabulis neruorum aliis, iisque minoribus, constet, transire ita queant, ut nullae imaginis partes in via pereant, aut in angustissimis neruorum intereant porulis. Idem §. 5. uberioris adhuc traditur. §. 6. autem iam monetur, quod, si uel maxime integræ species sensibiles a sensibus ad cerebrum transierint, anima tamen ignoret, quomodo easdem recipiat, ignorare enim eandem, dari neruos in cerebro, nisi ex anatomia idem didicerit: non esse quoque animam internam eorum faciem, nodum, quomodo species sensibiles ex extremitatibus eorum excipiat. Ignorat, qui fiat, ut saepissime, sensibus rite dispositis et uideat accurate et audiat probe: alio autem tempore, quando meditationibus distrahitur, nec apertis oculis uideat, nec auribus apertis audiat, et ubi tum ipsa in cerebro commouetur, ut assequi eandem ueluti species sensibiles, nequeant §. 7. ex hac ignorantia Pyrrboniorum, academicorum et scepticorum dubitationes, ipsiusque Platonis de illis innatis

et

et *reminiscientia* sententiam ortam esse obseruatur, et §. 8. *Cartesianorum* atque *Occasionalistarum* recensetur sententia, qui Deum occasione motuum in organis sensoriis ipsum ideas animae imprimere putant. Probatur id uerbis *Bernb. Connoris ex Evangel. Medici p. 144.* Imprimis autem *Malebranchii* recensetur sententia et controv̄ersia super eadem ipsi cum Antonio Arnaldo enata, §. 9. auctoris anonymi *des vertrauten Brief-Wechsels zweyer guten Freunde vom Wesen der Seelen, error,* quo animam cum corpore confundit, illamque a corpore distinctum quid esse negat, ex hac de sensationibus ignorantia inter alia ortus esse dicitur, siquidem ille, quod id, quod animae in sensationibus proprium est, ab eo quod corporis est, distingui non posse obseruauit in perceptionibus praeter motum fibrilarum in cerebro nihil admittit, animamque adeo plane negat. Ostenditur autem breuiter et neruose aduersus illum, praceptiones proprie sic dictas, quae semper  $\tau\circ$  consciū esse simul inuoluant, a sola materia produci nunquam posse, utpote quae nihil, nisi specularem repraesentationem efficere queat, qua aliquid aliis repraesentetur: sibi autem ipsi solam materiam nihil repraesentare posse. §. 10. universus Systematis *harmoniae præstab.* ambitus ex mente *Leibnitii* et *Wolffii* accurate describitur, adeo ut ex solo hoc §. quid totum sibi hoc Systema uelit, clare satis et perspicue addisci queat, §. 11. loca, ex quibus haec descriptio petita est, allegantur, uti *Leibnitii monadologia commercium epistol. cum Sam.*

Clarckio, responsiones Anti-Bailianaee Tentamina  
Theodiceae, et Wolffii vernünftige Gedancken von  
Gott, der Welt, und der Seelen des Menschen, ut et  
Bulffingeri commentatio hypothetica iam supra citata,

IO. GODOFR. KRAVSIVS, D. Iuris Sax. P.P.  
Ord. Scabinatus et Facultat. Jurid. Vitembergenf.  
Iudicij item Prouincialis infer. Lusat. Assessor.

Huic ad gloriam fuit, prius, quod ille \* ait, di-  
gnitatem mereri quam habere. Inde enim a mul-  
tis annis iura, quibus utimur, diligenter, si quis-  
quam aliis, legum studiosis tradidit. Haud pridem  
uero ad docendum hac in Academia ius patrium ab  
Augustissimo Rege uocatus, nihil intermisit eorum  
quae ad ornandam hanc prouinciam pertinere uide-  
bantur. Sed et ICTORUM ordini interesse cum laude  
iam dudum coepit. Igitur, cui res Academiae cordi  
est, optima quaeque Viro Optimo precari nobiscum  
ne dedignare.

Ipsa Praeside die Febr. de eo quod iustum est  
circa tutelam maternam tam de Iure Communi,  
quam iure Germanico atque Sax. disputauit CARO-  
LVS HENRICVS SCHEIBNERVS, Ossit. Misn.  
Constat ea Disputatio §. 66. plag. 10. Lit. Gerdes-  
anis.

§. 1. In originem tutelarum inquirit accuratius.  
§. 2. Ratio tutelae legitimae quae parentibus com-  
petit. §. 3. Quamobrem leges ciuiles antiquiores, in  
obeundis tutelae muniis, masculos praetereant. §. 4.

Ipsa

\* Barclai. in Argen. Lib. I.

Ipsae foeminae potestati ac tutelae alienae subiectae cum apud Graecos tum apud Romanos, fuerunt. Quod limitatur. Tandem apud Rom. foeminarum tutela sublata. §. 5. Quid in Germania hac in parte obtinuerit. §. 6. Mater cur ad tutelam liberorum suorum ab initio admissa non fuerit apud Romanos? §. 7. Quod deinceps quodammodo limitatum fuit. Eius rei occasio et causae. §. 8. Eodem iure solam matrem, exclusa auia, admissam ab initio uerosimile uidetur. Quod deinceps mutatum. §. 9. Germania a liberorum tutela nunquam exclusit matrem, quod demonstratur. §. 10. In Saxonia quid uideatur iuris fuisse. Rectius iudicant, qui existimant nihil in Saxonico iure uniuerso tradi, quod maternam tutelam probet improbatam fuisse. Schilterus notatur. §. 11. Matris appellatione quid comprehendatur hic. Nouerca plane excluditur. §. 12. Vidua item patris adoptiui. Item amita atque materterta. Nec admittitur mater ut dici possit, spiritualis, quae e baptismo suscepit pupillum. §. 14. Nec uero mater, quae liberos uulgo quaeſiuit, ab horum tutela arcenda uidetur. Neque, quae ex concubinatu, hodie prohibito, liberos genuit. Sed, quae e complexu incestuoso procrearunt liberos, ad eorum tutelam minime sunt admittendae. §. 15. Mater et auia si concurrant, illa primum et ea mortua, haec uocatur ad tutelam. Auiae paterna et materna si concurrant, simul admittuntur. Quod nec in Saxonia secus. §. 16. Ad Proauiam tutela pronepotum haud pertinet, in primis iure Ciuli Rom. 17. Sed nec Iure

Germanico aliter se rem habere aduersus dissentientem Ludwig. adstruitur. §. 18. Non autem ante quam maiores facta sit, tutelae munus subire mater potest. §. 19. Idem de iure Germ. ac speciatim Sax. affirmatur. Ludwig. dissentienti respondeatur. §. 20. Nec quoad tutrices illustres aliud obtainere aduersus eundem euincitur. §. 21. Quae supra dicta sunt, etiam procedunt, licet ueniam aetatis mater minorennis sit consecuta. §. 22. Nec tamen in perpetuum excluditur ea, sed durante tantum minorenitate. Interea id temporis ad proximum agnatum tutela defertur in Saxonia. §. 23. Matrem a tutela quae praeterea repellant? §. 24 quid porro impediat tutelam maternam? §. 25. Paupertas hic non obest. §. 26. Debitores a tutela creditorum suorum, iure nouellarum arcentur. Quod uero, quoad matrem et auiam, debitrices, rectius negatur. Quod latius deditur. §. 27. Nec sexus, nec dignitatis ratio in tutelae munere habenda. §. 28. Circa tutelam maternam magnatum, Principum, Ducum, Comitum, ipsorumque Regum, aetate minorum, quid iuris sit, §. 29. nec statim necessarium est, ut, quod quidam tradunt, matri illustrium contutor adiungatur. §. 30. Mater quoque pupilli illustris, ad sacram Episcopi spartam consecrati, tutelam suscipere cum de iure Ciu. Rom. tum in terris protestantium, potest. Quod cur cesset apud Pontificios? §. 31. Quid dicendum sit de Electoribus XVIII. annis minoribus? §. 32. Tutela materna ad bona feudalia non minus quam allodiala recte porrigitur. Car-

pzouius

pzouius refellitur. §. 33. Nec Iure Germ. et Sax. aliud constitutum. §. 34. Mater auiaque omnibus agnatis et cognatis, praecipue ex latere iunctis, in tutela preeferuntur. §. 35. Imo et ascendentibus masculis. Dissentientes refelluntur. §. 36. Mater cum Patre, auia cum auo siue paterno siue materno, si concurrant ad tutelam, simul admittuntur. Dissentientibus respondeatur. Ac mater, in contractibus a patre cum filio emancipato initis, admitti sola ad tutelam potest. §. 37. Praeferri quoque matri atque auiae tutor a patre in testamento datus, potest. Nec quidquam refert, rite datus fuerit in testamento tutor siue non fuerit, ita ut confirmatione opus habeat. Modo tamen habilis datus sit. §. 38. Neque mater l. auia iis casibus a tutela excluduntur, ubi tutor in testamento sub die, uel conditione, datus sit, aut se se excusauerit, aut deinde remotus fuerit. §. 39. Nec aliud obtinet, si persona aut incesta a patre in testamento tutor l. data fuerit, aut pater tantum, ne mater tutelam subeat, prohibuerit. §. 40. Dicta in Germania non minus attenduntur. Sed an pactis gentiliis l. aliis tutela haec auferri matri l. auiae iure ciuili possit, dissentunt inter se D. D. Negantium sententia uerior uidetur. De Iure Germ. uero id rectius affirmatur. §. 41. Cogitamen ad sustinendam tutelam legit. mater l. auia non posseunt nisi per rescriptum principis. §. 42. Idem quoad ius Germ. aduersus Ludwigium defenditur. §. 43. Nec coguntur mater atque auia, tametsi testamento paterno datae tutrices fuerint. §. 44. Re-

cusant, uel expresse l. tacite. Quod quomodo fiat, ostenditur atque. §. 45. Ulterius explanatur. §. 46. In suscipienda tutela materna quid facto opus sit. Vbi de confirmatione eius iudicali, qua, an et olim in Germania opus fuerit §. 47. Dubitant nonnulli. §. 48. De Magistratu quoad hanc confirmationem competente. §. 49. Ius Germanicum. §. 50. Intuitu feudorum quis iudex hic competens sit. Ludwigio respondet. Quid speciatim Iure Saxonico obtineat, monstratur. §. 57. De renuntiatione iurium, quam confirmatio tutelae maternae praerequirit, deque modo ipsius. §. 52. An ea per procuratorem fieri possit? §. 53. De renuntiatione secundarum nuptiarum, eiusque ratione et causis. §. 54. In quantum ea requiratur? Et quid, si hac non obstante mater ad secunda uota transiret? §. 55. De renuntiatione Scti Vellei. aliorumque iurium. Eius causa et ratio. §. 57. Ulterius de hac renuntiatione, et quid circa eam in Germania iuris sit. Ludwigi sententia reiicitur. §. 58. Quoad cautionem et inventarii confectionem quid iuris in tutela materna. Vbi primum de iure Rom. Deinde de Germanorum moribus. Notatur Ludwigius. §. 59. In ipsa tutelae administratione quomodo se gerere mater debat. In Saxonia opus hic Curatore, et quomodo? §. 60. Vtrum transacta impubertate, et si minorennes facti liberi sint, persequi tutelam mater possit? quod aduersus Ludwig. affirmatur. §. 61. Quibus modis finiatur materna tutela? quod §. 62. et 63. latius expenditur. §. 64. A tutela semel suscepta quan-

quando se liberare possit mater? §. 65. Finita tutela quid fieri oporteat. Vbi de rationibus reddendis.  
§. 66. Conclusio.

Die 18. Martii uentilabatur *Disput. poster. de anima sibi ipsi ignota Sect. 4.* Praeside M. SAM. CHRIST. HOLLMANNO, Sedin. Pomer. et Respond. IOAN. ANDR. HEIMBURGER, Thalebra-Thuring. pl. 2. Litt. Gerdes. Continet, *Dissertatio sex §§. inter quos*

§. 1. ostendit quanta laboret anima nostra ignorantia, qua memoriam et intellectualē et sensualem: hanc enim ex sensibus internis hic §. potissimum considerat, ostenditur, ignorare animam quo in cerebri loco, anima has illasue ideas sensuales quasue ipsa sibi post aliquod tempus repraesentat denuo, uel quae in somniis sua sponte recurrunt, quibusue in cerebri titulis easdem reposuerit, ut tanquam uelo tectae delitescant, uel aliquamdiu, seque post aliquod demum temporis interuallum iterum repraesentent. §. 2. de *motibus uitalibus*, qui iuxta Aristotelicorum sententiam ad uegetatiuas animae facultates referuntur, differitur et *Cartesii* defenditur sententia, qua iidem ex sola partium structura deriuantur, adeoque ab anima esse negantur: eademque paucissimis simul ab obiectionibus Dn. ab Elswich liberatur, euincitur tamea simul, animam etiam qua has sibi esse ignotam, siquidem ne a posteriori quidem i. e. argumentationibus undique conquisitis extra omnem dubitationem ponere potest, num ipsa illarum causa sit, an minus; tantum abest, ut circa conclusionem ea de re quie-

quicquam sciat. Ignoramus enim num anima nostra circulum sanguinis systolen et diastolen cordis secretiones uariorum in uariis uisceribus liquorum, motum peristalticum etc. perficiatur, an minus, iidemque motus omnes a solo corporis mechanismo pendeant, §. 3. animam nescire notatur, quomodo a *sanguine*, succis aliis turbato, et ipsa turbetur, u. c. in ebriis delirio melancholico conceptis etc. aut quomodo salia in siceris subtilia ita penitus turbare animam queant, ut ne actionibus quidem animae maxime intrinsecis, ipsisque cogitationibus sanioribus relinquatur locus. In §. V. nonnulla notatur digna de *somno* et *somniis* afferuntur, et animae in utroque statu ignorantia et de somno quidem, quod nesciat, quomodo uel obdormiamus uel euigilemus iterum, ut et in qua formalis somni ratio consistat ubi per somnium anima commouetur. Nescit etiam anima, nisi somniis fuit perturbata, ubi fuerit, et quid per integrum egerit noctem, ubi iterum expurgescimur: in somniis autem omnium manifestissime ignorantia illa uulgo etiam palpabilis, se prodit, ignoramus enim quando somniis exagitamur, phantasias illas solummodo meras esse, merosque lusus, atque tanquam uerissime secum omnia ita agantur, anima, quamdiu nondum expurgescimur, persuasa est. Quae fere crassissima ignorantia est: ratio tamen eius admodum probabilis redditur, §. 6. tandem ostenditur extendere se hanc ignorantiam etiam ad res altioris, id est Theologici fori. Exinde enim esse ostenditur quod, quanquam

ma-

malum in nobis esse deprehendimus, formalem tam  
men peccati originalis rationem, quamdiu reuelatione  
destituimur, ignoramus. *Hinc Vox Senecae: errat*  
*si existimat nobiscum nasci uitia, superuenerunt, in-*  
*gesta sunt.* epist. 69. ostenditur, ex hoc fonte ma-  
nasse quod *Locckius* cum *Socinianis principia innata*  
negat: quod sine reuelatione ignoramus, in quo-  
nam *unionis* cum Deo *mysticae formalis ratio con-*  
sistat, et quomodo animae nostrae cum eodem uni-  
antur: atque tandem eadem adhuc ignorantia ex  
2 Cor. XII, 2 seq. probatur.

Eodem die habebatur horis pomeridianis ab eodem  
praeside eodemque respondentे *sectio huius diff. 5ta*  
*et ultima*, quae quinque modo §§. constabat; quorum

§. I. Inquirit in ignorantiae huius *causam*,  
quam profundam potissimum animae in materiam  
immersionem esse notat. Deum enim intime et  
profunde animam materiae immersisse, quod ex eius  
intentione et consilio cum corpore aeternum in uita  
manere debuit. Ubiuis tamen hanc rationem non  
sufficere, simul ostenditur, atque ex eo §. 2. ratio  
redditur, cur non anima solum, sed eandem sibi igno-  
tam esse, *mysterium* etiam fuerit appellatum: fa-  
ctum enim propterea est, quod ne ipsius quidem hu-  
ius ignorantiae adaequata omni ex parte ratio reddi  
potest. §. 3. 4. ostenditur quis sit hatum de *Anima*  
sibi ignotae aduersus mysteriorum diuinorum omnis  
generis hostes, meditationum usus, efficacissimum  
scilicet demonstratur esse aduersus contemptores  
ueritatis coelestis argumentum, quo compesci eo-

rum

rum insania queat, idque eo fortius, quod nemo illud  
subterfugere ualet, quandoquidem, qui uiuunt, ani-  
ma gaudent, eandemque sibi ipsi ignotam esse  
omnes deprehendunt. Erga diuina ergo mysteria  
haec uenerationem summam concilient necesse est.  
§. 5. autem elegantissimum Dissertationi annexi-  
tur carmen ex operibus poeticis celeb. Jacob Catii,  
poetae Belgici, qui in colloquio aliquo inter animam  
et corpus easdem fere meditationes, quas auctor fuse  
in dissertationibus hisce prosecutus est, sistit, gratu-  
latus sibi auctor de consensu cum ingeniosissimo  
Viro atque praeter Catium se nihil de hoc argumen-  
to apud quemquam inuenisse testatur.

\* \* \*

Die 12. Mart. Viro illustri ac iurisconsultissimo  
Domino IOAN. MICHAELI VYSLAVIO Poten-  
tissimi Poloniarum Regis ac Principis Electoris  
Saxonis a consiliis Ecclesiasticis Senatus item San-  
ctioris ac summi Assessori splendidae dignitatis ac-  
censionem qua quidem par est obseruantia gratula-  
batur carmine subsequente Academia Vitember-  
gensis.

**N**escitis, quibus agmina  
Virtutis studium tanta onerum parit,  
Quo uergat labor improbus,  
Quo figat trepidum pallida spes gradum?  
Huc, huc currite, currite,  
VYSLAVI rutilam cernite adorem,  
Et, quod splendida, credite,  
Constantis fideli praemia det decus.

Doctas

Doctae Palladis assecla  
Ardens a pueris et Themidis fuit,  
    Nullum tempus inaniter  
Perdens Idaleis attribuit iocis,  
    Delectatus at arduis  
Rebus, uulcus iners quas habet insuper,  
    Sic ad culmina maxuma  
Doctrinae uariae nixus, amabilem  
    Tandem gloriam adeptus est.  
Magnorum nihil est, quo sine taediis  
    Mortales fruimur, labor  
Cedit perpetuis usque laboribus.  
    Postquam tot domuit feros  
Monstra horrenda suis uiribus Hercules,  
    Mox in sideribus micat.  
Nec tutum imperium Iupiter obtinet  
    In coelis prius, ac feros  
Diro terrigenas fulmine sustulit.  
    Mortales miseris, quibus  
Imponunt pauidis otia somniis.  
    At uirtus sine praemiis  
Nunquam uera manet. Phoebus et aethere  
    Priuetur prius arduo,  
Et Mauors gladiis, fluctibus Hippius,  
    Quam inercede sua labos.  
VYSLAVI fidei creditur unicus  
    Regis Filius, artibus  
Quem dignis ualido Principe praeparet,  
    Quo facto egregie, suos  
Rex inter retulit Consiliarios

Illum, post obitum pii  
 BAYERI, meritis mactat honoribus.  
 En campum patulum, TVA  
 Quo uirtute potes currere strenua.  
 Praesens postulat en modo  
 Contemta Eusebie subsidium TVVM,  
 Spretæ Pierides modo  
 TE poscunt, pretium nunc reuoces uetus  
 Illarum, Themis inuolat  
 Plangens in gremium, flagitat ac opem.  
 Mentis robora collige  
 Surgens, ut poteris, protinus adiuua.  
 Qui nil sustinet, et nihil  
 Nosti, conficiet. Vota nihil parant.  
 Laetus secula Nestoris  
 Fortuna incolumi transige, pectoris  
 Nil desit precibus TVI  
 Vnquam. Perpetuo gratia Regia  
 Aspectu foveat fauens  
 TE, sic, sic facilis, nec sine gloria,  
 Addas commoda commodis,  
 Ac sis auxilio pauperi Apollini.

---

P. P.

IV. ID. MART. ANN. CL ICC CCXXIV.

\* \* \*

Die 19. Martii, de iure offerendi simultanee inue-  
 stiendos Praeside D. GODOFR. LVD. MENCKEN.  
 P. P. Curiae Prouinc. Scabin. Facult. Iurid. Consist.  
 Ecclesiastici pariter et Iudicij Ducalis in Marchio-  
 na-

natu Lusatiae inferioris Assessore disputauit publice  
IOH. CHRISTOPH. ROEHMIG Schmiedeber-  
ga Saxo-Vitemb. Lit. Creusigianis plag. 5.

Notat in Prooemio feudalis iuris interpretes qui inutilia maximam partem pertractent, relictis iis, quae in ipsis rerum argumentis usum praestant, et quotidie in foris obueniunt, quorsum et refert materiam de iure offerendi simultanee inuestiendos §. 1. et 2. terminos explicat, et §. 1. quidem de simultanee inuestiendis in sensu Iuris Saxonici non Longobardici sermonem sibi esse generatim monet, §. 2. offerendi uocabulum ut et ipsum oblationis actum exponit et definit, §. 3. Rationem reddit, cur Vasalli de simultanee inuestiendis ut plurimum soleant esse solliciti, eam scilicet ne, si sine liberis decedant, ad dominum reuertatur feudum. §. 4. a solius domini directi arbitrio pendere simultanee inuestiendorum receptionem idque indistincte, ostendit et confirmat uariis praeiudiciis §. 5. in Saxonia nero Electorali Diuum Iohannem Georgium IV. primo omnium copiam simultanee inuestiendos praesentandi et intra annum quidem diserte ac Lege publica fecisse, nimirum in Mand. d. 12. Sept. Anno M DC XCI. cuius uerba eo pertinentia simul recitat. §. 6. terminum hunc offerendi ad sexennium usque Anno M DCC. prolatum ui Decreti cuiusdam d. 8. Febr. repetiti in Rec. Prou. d. die 17. Mart. eiusdem ann. §. 24. iunct. 25. perhibet in §. 7. agit ut ostendat quinam praesentare simultanee inuestiendos possint? nimirum qui facultatem paciscendi habent, ergo nec mu-

lier sine curatore, nec pupillus et c. ubi a quo tempore sexennium isthoc pupillis currat, item qua ratione heredes computare illud debeant, inuestigat §. 8. et seqq. expendit, qui offerri possint, sigillatimque id negat de muliere affirmat de patre, remota, quae fingitur intercedere inter patrem et filium, unitas personarum, in §. 9. an filius et pariter affirmat atque id omnino utile esse contendit. §. 10. nec unum nec plures iusto offerendos putat. §. 11. De successione simultanea inuestitorum inter se se inuicem agit, et in dubio omnes pariter succedere, tamen §. 12. hoc a uoluntate praesentantis, potissimum uero Domini pendere, censetur §. 13. ius illud offerendi non nisi ad feuda noua pertinere et quae feudi noui iure censeantur exponit, §. 14. facultatem praesentandi simultanea inuestiendos eodem modo etiam ad feuda masculorum foeminina, feuda minora, rustica et similia item et mediata extendit §. 15. de anno, et qualis utrum ciuilis an Saxonius secundum mandatum Diui Iohann. Georgii, intelligendus sit, uerba facit, quamuis frustra esse de hoc quaerere submoneat postquam sexennium indultum fuerit, quod §. 16. a tempore acquisitionis feudi noui et quidem confirmationis Domini directe seu impertratae inuestituae currere existimat §. 17. sexennio elapso in simultanea inuestiendos offerri frustra, ait, nisi Dominus Vassallo gratiam facere uelit, uel iusta adsit restitutio-  
nis causa, §. 18. inter sexennium an saepius unum post alterum offerre liceat, quaerit nihil tamen definit, sed solius domini arbitrio id relinquendum cen-

censet, effluxo autem sexennio contradicere posse qui  
iam tum praesentati sunt, contendit. §. 19. Ius  
offerendi non nisi in praesentatione simultanea inue-  
stiendorum consistere conuincit, et hinc §. 20. Do-  
minum recusare iusta ex causa quam postulare Vasal-  
lo ne quidem fas sit, praesentatum posse concludivit.  
§. 21. et seq. de effectu factae oblationis quaeritur  
et in illo quidem non ius reale, quod demum ab in-  
uestitura expectandum sit, sed §. 22. instantum per-  
sonale tribuere oblationem dicitur, ita ut saltim re-  
uocare nequeat Vasallus. §. 23. praesentatum intro an-  
num a tempore factae praesentationis inuestituram  
petere imo omnem quam possit industriam eo nomi-  
ne adhibere teneri probatur. §. 24. annus hic utrum  
Civilis an Saxonius sit? quaerit auctor et Saxonum  
esse autumat arg. P. 2. C. 45. quamvis consultius  
agere submoneat qui intra ciuilem annum adhuc  
inuestituram petat. §. 25. si praesentatus hoc ne-  
gligat eum ius suum amittere ita tamen ut Vasallo in-  
tegrum sit in eius locum alium non alios et intra  
annum quidem substituere asserit, an iterum atque  
iterum? hoc ad gratiam domini referendum existi-  
mat, et hisce §. 27. concludit nonnullis mandatis  
ac decretis Regiis et Electoralibus itemque Respon-  
sis, quae ad illustrationem dissertationis faciunt,  
et ad quae subinde prouocant, subiunctis.

Die 26. Martii disputauit Vir Magnif. Excellent.  
Consultissimusque D. GODOFR. LUDOVICVS  
MENCKEN P. P. curiae Prou. Scabin. Facult. Iurid.  
Consist. Eccles pariterque Iudicij ducalis in Marchio-

natu Lusatiae Inferioris Assessor de *usu fructu mariti ad inopiam redacti in bonis uxorum*, quam Disputacionem tuitus est CHRISTIANVS GOTHOF. WESSEL Bloensorff Saxo typ. Viduae Gerd. pl. 3.

Constat ea §pis 29. in praefamine de Priuilegiis uxorum in genere proferuntur nonnulla, et antequam proprius ad materiam explicandam accedit Autor in §. 1. diuersitatem bonorum uxorum in §. 2. definitionem effectus et priuilegia quaedam bonorum dotalium desiderat in §. 3. eadem uia, qua in v. antec. intuitu paraphernorum incedit sic etiam pergit in §. 4. in receptis in §. 5. et 6. quod Ius Saxonum hanc distinctionem ignorans sanciuierit expedit in §. 7. ex confusione iurium hactenus relativum ius hodiernum ortum traxisse monet, cuius iuris differentia circa uxorum simul ostendit. §. 8. agreditur thema propositum adducens §. 9. ea quae pro creditoribus faciunt et in §. 10. Argumenta quae recensere nimis prolixum esset. Nec deest uxoribus quippe in §. 11. rationes quae pro iis militant ex fine concessi usus-fructus desumptas in medium profert. His quae in utramque partem allegatae sunt rationibus expositis nunc in §. 12. cuiusnam partes quis sequi debeat, inquirit, dubius ab initio, tandem uero magis in creditorum partes inclinat in §. 13. tribuit uxoribus vindicationem et hypothecariam actionem et etiam l. 29.C. de iure dot. abusum et liberam utendi facultatem in §. 14. effectus ex modo relatis fluentes enarrat quos in §. 15. ad donationem propter nuptias extendit, dubio tamen circa ab-

abusum relicto, idem in §. 16. de paraphernis praedicat, quia, §. 17. nihil referre ait, utrum concursus iam motus culpa, an casu ad inopiam redactus sit. Nec iuxta §. 18. illa abutendi licentia, de qua in §. 13. ad necessitatem sustentationis restringenda sed liberior potestas uxori competit. Progreditur §. 19. Autor ad ius Sax. quo eadem quae de Iure Rom. dixit, asserit obtinere, cum ius ciu. hac in parte per L. domesticam non sit sublatum, quod assertum §. 20. quoad bona dotalia latius demonstrat. Non uero 1.) §. 21. de donatione propter nuptias, cum iuxta O. P. S. Tit. XLIII. priuilegia dotis ad hanc donationem proferri prohibitum sit, nec 2.) §. 22. ad dotalitium, cum in hoc uxor de lucro captando certet, sanctio nem d. L. 29. asseruare cupit, affirmat §. 23. de paraphernis, argumento ducto a maiori ad minus per primis cum d. Lex 29 nominatim paraphernorum faciat mentionem, cuius receptio §. 24. praeiudicio F. Lips. probatur §. 25. ostendit, L. §. 25. O.P.S. dissentientes opinionem suam probare non posse additis rationibus. Ex hactenus dictis infert, §. 26. maritum inopem, licet antea usu-fructui renuntiare non possit, tali remissione non opus habere, cum uxor ipso iure reuocet hunc usum-fructum nec §. 27. obstaculo esse possit, si sciens marito inopi nupserit, in §. 28. ostenditur L. Latorem hoc aliaque priuilegia praescindere posse nec iniquum esse modo sustentatio salua relinquatur, denique in §. 29. quaestiones quaedam mouentur, quarum decisiones aliae occasione referuantur.

Sicut uiuis suis patronis debitam reuerentiam exhibit  
ita mortuis pietatem iustum soluit et laudat merita et  
deplorat praematuram mortem, ex eiusmodi pie-  
tate ab Academia Vitebergensi sequens facta est  
Ode Funebris in obitum Icti fama meritisque illu-  
stris D. ANDREAE BAYERI, Dynastae Steinigt-  
Volmsdorffii ac Plothonii, Potentiss. Polon. Regis ac  
Principis Electoris Saxoniae a Consiliis aulae et  
Iustitiae atque Ecclesiasticis, Senatus item Sanctio-  
ris et summi Assessoris ac Senioris diui.

**E**xiste Pindi gaudia! Musici  
Existe cantus! occidit inclutum,  
BAYERVS, orbis literati  
Praesidiumque decusque nostri.  
Spectatis? aut me fallit acerbior  
Luctus? sonoras Pierides lyras  
Ponunt, peplisque interni gratis  
Significant socium dolorem.  
Squalore Pindi motus Apollo ait:  
Non dedecet uos triste silentium?  
Aut, si qua detur iusta caussa,  
Ingenuo doceatur ore.  
Effata tandem Melpomene grauis  
Moeroris aestum est: O Pater artium,  
An conqueramur uoce iusta.  
Lance Tua reputes acuta.  
En literarum cum studium uiget,  
Desunt Patroni, quiue remanserant,  
Ex fraude Parcarum maligna  
Morte suis rapiuntur ausis.

BAY.

BAYERVS  
Tam literatu  
Quam san  
Fidus e  
Spectatus an  
Illustris amp  
Discentib  
Paup  
Doca Mu  
Orbus fid  
Passim  
Ha  
Tantas q  
Iactura, d  
Sed spo  
Artib  
Sic inquit  
Erecta pla  
Delend  
Clad  
CORPV  
CVSTOD  
NVNC  
NVI  
NOS CO  
MVLTIS  
PLVRI  
VI

IV

BAYERVS aruis Saxonis in nigris,  
Tam literarum consiliarius,  
Quam sanctioris concionis,  
Fidus erat, columenque firmum,  
Spectatus annis et uenerabilis,  
Illustris amplis ac meritis, fauens  
Discentibus cum, tum magistris,  
Pauperiemque iuuans politam  
Docta Minerua. Grex ouium, suo  
Orbus fideli, ac esuriens Duce,  
Passim uagatur, de manente  
Hae-que-sitatis metuens salute.  
Tantas querelas Delius audiens,  
Iactura, dixit, me mouet et Viri,  
Sed spondeo uates, Patronos  
Artibus usque suos futuros.  
Sic inquit. Omnis Pieridum cohors  
Erecta plaudit, manibus ac parat  
Delenda nullis seculorum  
Cladibus haec monumenta Diui:  
**CORPVS· QVIESCAT· MOLLITER· OSSAQVE**  
**CVSTODIANTVR· MENS· SIMILIS· DEO**  
**NVNC· RECREETVR· PRAEPOTENTIS**  
**NVMMIS· INTVITV· SALVBRI**  
**NOS· CONSECRAMVS· PECTORA· MAXVMIS**  
**MVLTISQVE· GRATI· PROMERITIS· TVIS**  
**PLVREIS· FAVENTEIS· AC· BAYEROS**  
**VTILIBVS· STVDIIS· PRECAMVR**

P. P

VITEMBERGAE

IV CALEND. MART. ANN. CCCCXXIV.

I 4

Die

Die 30. Martii, Dissertatio Inauguralis Medica de  
*Arce Podagrae Armis Chymicis expugnabili.* Prae-  
 side ABRAHAMO VATERO, Ph. et M. D. ac P. P.  
 Anat. et Botan. Substit. Societ. Imper. Nat. Curios.  
 et Reg. Britan. Socio. *Pro Licentia ab auctore IOAN.*  
*FRIDER. CHRISTIANO GERCKEN,* Palaeo-  
 Brandenburgensi habita fuit.

Praefamen contra eos pugnat, qui podagras cu-  
 ram impossibilem esse affirmant, quod enim secun-  
 dum illorum obiectionem raro aliquis ab hoc libe-  
 retur morbo, non defectui medicamentorum, sed in-  
 temperantiae et peruersae diaetae adscribendum esse,  
 docet, ut ipsa exempla accurata diaeta ab hoc malo  
 liberatorum probant. Cum itaque talem effectum  
 sola praestet diaeta, potius idem a medicamentis  
 praecipue Chymicis cuius salutarem exitum exper-  
 tas fuisse, credit Helmontius, expectandum esse, cen-  
 set. Non tamen omnibus promiscue, quae contra  
 podagram commendant, medicamentis fidem ha-  
 bendam esse, suadet, interim tamen remedia stupen-  
 dae contra podagram uirtutis dari exemplo olei Dip-  
 peliani in curanda epilepsia praestantissimi probat, et  
 de hinc ad ipsius thermatis transit explicationem.

*Thef. I.* Podagram per athritidem quae in pe-  
 dibus, sedem fixam habet, definit, pedesque ad cri-  
 ticam hancce materiae noxiae depositionem praeci-  
 pue aptos pronuntiat; contrarium uero fieri afferit,  
 si turbato uariis de causis motu critico, eadem ad  
 brachia, manus ipsaque uiscera deducat. *Thef. II.*  
 Seri uitiosi naturam in hoc morbo non unam sem-

per

per eandemque esse sed modo alcalicam, modo acidam, modo alias indolis docet. *Thes. III.* Interres, quae huic morbo occasionem et materiam subministrant primo loco peruersam diaetam et praecepit secundum tritum sermone prouerbium, uini, ueneris, et irae abusum recensendum esse, experientiae testimonio confirmat, praecipue uero hic sermonem esse de uino recenti mustaceo, tartaro crudo referto eleganti demonstrat obseruatione. *Thes. IV.* Venerem et iram generationi huius mali fauere indicat, quatenus humores uehementius exagitent impuritates ad extrema propellant uiresque destruant. Hisce tamen neutquam causis acquiescendum, sed simul ad reliquas res non naturales ipsasque excretiones solennes respiciendum esse iudiciose monet. *Thes. V.* Proponit Podagrae diagnosin et specialem huius ab eresypelate arthritide uagarheumatismo et doloribus uenereis differentiam a parte effecta et tempore quo dolor inuadit, petendam. *Thes. VI.* Podagram, morbum esse criticum uiris quam foeminis frequentiorem eundemque neque pueros ante ueneris usum inuadere, nisi per haereditatem, oculos ponit, cuius curam proinde quoque difficultorem interim tamen non plane impossibilem pronuntiat. *Thes. VII.* Ipsam huius morbi curam explicare aggreditur ac repudiata iam cura illius methodica remedia Chemica, quae peculiaris in hoc morbo effectus iudicat, atque inter ea Mercurium, uitriolum, antimonium et corallia numerat, ceu arma, quibus arx podagrae expugnari potest, proponit.

*Thef. VIII.* Mercurii Principia et uires modumque huncce corrigendi examinat simul disquirens, an arcanum Paracelsi Corallium, quod Auctor in curanda podagra tantopere extollit, natalia sua Mercurio uulgari debeat, quo simul loco salutaris Mercurii praecipitati usus adducta obseruatione demonstratur.

*Thef. IX.* Mercurii cum auro coniuncti in curanda podagra uires recenset; eiusdem prosapiae aurum uitae Keglerianum fuisse dicit, quod alias ex sola Mercurii cum auro coniuncto abstractione aquae regiae alias addito insuper uitro antimonii hyacinthino, atque affuso oleo uitrioli rubicundo per distillationem parasse docet cum data admonitione, ut oleum uitrioli dulce rubiniforme cuius originem simul describit, prae altero eligamus, utpote quod ex sulphure uitrioli anadyno dependeat. *Thef. X.*

De existentia sulphuris uitrioli anadyni discrepantes Auctorum examinat sententias, idemque dari Syluii Grembisi aliorumque probat testimoniis simul affirmans dictum sulphur lapidem Baltkeri, qui solo attacatu morbos curare dicitur ingredi. *Thef. XI.*

Licet modus dictum sulphur uitrioli anodynum parandis admodum difficilis atque intricatus interim tamen huius existentiam neutiquam negandam esse, ut ipsa demonstrent experimenta Chymica euincit.

*Thef. XII.* Reliqua sulphura mineralia fixa cum sulphure uitrioli anadyno uiribus conuenire eiusdemque dehinc esse uirtutis, Syluii et Hoffmanni confirmat testimoniis. *Thef. XIII.* Inter antimonii praeparationes optimam censet, quam Maits in

Chym.

Chym. sua rat  
simul panacea  
aque Anwald  
accurate, si eu  
rentur. *Thef.*  
getabili perti  
ctenus acrum  
perimentis  
nudinas uera  
eandard. que  
praecipue  
oculos por  
concludit,  
expugnand  
pollit: Toll

Die 7. A  
IOANNES  
arius Auli  
Botanices  
Paschale f  
Ionae in R  
proponebat  
IOAN. GV  
P.P. Alum  
cae Decan

V Num  
fundat  
ris nostri,

Chym. sua rationali aliique laudant, atque huic simul panaceaçam antimonialem Conerdingianam atque Anwaldinam annumerat, sedulo monens, ut accurate, si eundem desideremus effectum, praeparentur. *Thes. X. V.* Corallia, quae ad regnum uegetabile pertinere sentit, tali sulphure, de quo hactenus actum est pariter gaudere et rationibus et experimentis chymicis corroborat. *Thes. XV.* Genuinas uerae coralliorum tincturae notas recenset eandemque singularis in multis morbis chronicis praecipue in Podagra esse uirtutis per adductam ob oculos ponit historiam. *Thes. XVI.* Dissertationem concludit, dicta, afferens sufficere medicamenta ad expugnandam podagrac arcem ita, ut iam iure dici possit: Tollere nodosam nouit Medicina Podagram.

\* \* \*

Die 7. April. Rector Academiae Wittebergensis IOANNES HENRICVS DE HEVCHER Consiliarius Aulicus atque Archiater Regius Anatomes et Botanices Prof. Publicus Ciuibus Academicis Festum Paschale felix faustumque precabatur et Signum Ionae in Resurrectione Christi pie considerandum proponebat, interprete Summe Venerando Domino IOAN. GVILIELMO IANO S. S. Theol. D. et P. P. Alumnorum Ephoro h. t. Facultatis Theologicae Decano.

**V**Num ex praecipuis fidei ac religionis Christianae fundamentis est admirandus Christi, sospitatoris nostri, per manus hostium improborum, diuino coa-

consilio, trucidati, in uitam reditus, cui ita illa innititur, ut eo infirmato negatoue, salua esse non possit. Hinc Apostolus fiduciae suae rationem reddens, quis, inquit, ille, qui condemnet? Christus est, qui mortuus est, μᾱλλον δὲ νὰ ἐγένετος, imo qui et suscitatus est, Rom. VIII, 34. Si quis uero Christum resurrexisse, neget, huius fidem uanam esse, pronuntiat, 1. Cor. XV, 17. Quin Christus ipse, resurrectionem suam palam praedicens, hoc signo diuinam doctrinae suae auctoritatem demonstrauit, idque ut argumentum, cum ad fidem suorum corroborandam, tum ad hominum calumnias retundendas, et incredulitatem expugnandam, proposuit. Nam scribis et Pharisaeis, post tot alia miracula, nouum signum postulantibus, respondens, dixit: *generatio prava et adultera signum quaerit, et signum non dabitur illi, nisi signum Iona prophetae.* *Quemadmodum enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus ac tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus.* Matth. XII, 39. 40. Multa sunt in quibus Christus cum Iona comparari potest. Nam ut alia, in quibus hic illius siue typum gessisse, siue similitudinem aliquam retulisse creditur, nunc taceam, uterque erat propheta diuinitus excitatus et missus, licet ille Iona longe maior, ut qui sua, non aliena, uirtute et auctoritate uteretur. Vterque hoc munere non tantum ad Iudeorum, sed ad aliarum quoque gentium salutem et conuersionem fungebatur. Excidium alter Niniuitis, nisi seria poenitentia iram Dei auerruncarent, post quadraginta dies securum, alter

ter Hierosolymitanis, post quadraginta annos, propter omissam neglectamque poenitentiam, reapse secutum, denuntiauit. *Sicut praeterea Ionas ex navi in aluum ceti, ita Christus ex ligno in sepulchrum, siue in mortis profundum, projectus est: et sicut ille pro his, qui tempestate periclitabantur, ita Christus pro his, qui in hoc seculo fluctuant, ut loquitur Augustinus in Epist. XLIX.* Sed hic illud maxime spectat Seruator optimus, quod sicut Ionas, morti obiectus, et a ceto deglutitus, nihilominus tertio post die, superas ad auras rediit, eoque miraculo diuinam legationis suae auctoritatem probauit, et Niniuitas ad uerbum Dei attentius audiendum cominouit, ea de causa signum Niniuitarum, siue Niniuitis datum, dictus, Luc. XI, 40. ita et ipse, uita tertio post suppli-  
cium suum *νυχθημέω* resumta, se uerum propheta-  
tam mortisque uictorem sit praestiturus.

Vix ullum miraculum, sacris literis proditum, unquam hominibus incredulis maiori offendiculo, imo ludibrio fuit, quam illud Iona, ex ceti faucibus in lucem restituti. Inter ueteres Paganos Lucianus, Verar. historiar. lib. I, prope fin. id haud dubie illusurus, se nauigantem in cetum MD stadia magnitudine sua aequantem incidisse, et una cum naui ac sociis deglutitum, in eo ultra annum delituisse, narrat. Similia Porphyrii, eiusque similium, dicteria memorat Augustinus, et *hoc genus quaestionis, (de Iona, qui dicitur in uentre ceti triduo fuisse) multo ca-*chino a Paganis grauiter irrigsum esse, testatur, in modo dictae epistolae XLIX quaest. 6. Sed et inter  
Chri-

Christianos extiterunt, qui rem ita gestam esse, negarent, et propterea historiam Ionae modo pro uisione et somnio, modo pro parabola, modo pro symbolo et aenigmate acciperent. In his nuperime Hermannus Hardtius, vir cl. parte priori libri Ionae, ac speciatim capite I, cohortationem, qua propheta Samaritanos ad poenitentiam excitauit, et capite II. deprecationem pro salute populi Samaritani, contineri, in posteriori uero parte, quam libellum Ionae secundum uocat, iisdem Samaritanis exilium Assyriacum, breui tamen, si poenitentiam egerint, finendum denunciari, et quod, Jeroboamo II. rege Israelitico, aperte loqui ac scribere non licebat, parabolico dicendi genere proponi, contendit. Ex hac hypothesisi *Niniuen* pro Samaria, regni Israelitici sede, *Ionae fugam* pro neglectu officii prophetici, et intempestiuo, quo illud subterfugerit, silentio, nauem, quam fugiens concendit, pro republica Samaritana, turbarum bellorumque fluctibus iactata, nauitas pro regni Samaritani ciuibus, *suppellectilem* ab iis in mare projectam pro tributis et uectigalibus hosti victori soluendis, denique, ut cetera taceam, *piscem*, qui Ionam in mare projectum, absorbuit, et quem fuisse canem marinum, Graecis *νύβα νάρχαξον* dictum, probat Samuel Bochartus in Hierozoici P. II. lib. V. c. 12. pro museo, siue diuersorio urbis Samaritanae accipit, in quo ille per triduum abditus, preces ad Deum fundens, et hunc ipsum librum conscribens, exilium gentis Israeliticae Assyriacum, breui, si ad frugem redierit, Deoque supplicarit, finiendum, praes-

praeſentarit. Huc enim redit argumentum libelli, qui inscribitur, *Ionas in Carcharia*, Helmſt. 1718. primum editi, et cum aliis eo ſpectantibus, ſub titulo, *Aenigmata priſci orbis, Ionas in Luce, in Historia Manassis et Iofiae, eleganti ueterum Hebracorum ſtylo ſolutum aenigma, etc.* ſuperiori anno 1723. recuſi. Quo admiſſo, Ionas, in diuersum a Niniue, h. e. ſe- cunduni nouam hanc interpretationem, a Samaria, oram fugiens, Ion. I, 3. et c. IV. 2. in rem publicam Samaritanam ſe recepiſſet, cum ex hac nauि eiice- retur, denuo nihilominus in ipsam metropoliſin Samaria, eiusque diueroſium quoddam, per car- chariam, ſive pifcēm praegrandem, ſignificatum, in- cidifſſet, et Israelitis liberationem ex captiuitate Aſſy- riaca, nunquam ſecutam, promiſiſet. Haec, et alia ex- pli-cationis ſuae incommoda, autor ipſe haud dubie animaduertens, ſententiam poſtea ſemel iterumque mutauit. Nam in programmate de rebus Ionae, quo integratas historiae Ionae, nec non miraculi robur, contra cuiusdam (puta Sigismundi Beermannii, paſtoris Guelpherbytani, cuius, de Hardii Iona in Carcharia, ad amicū epiftola Wolffenbütelae 1719. prodierat) ſcrupulos ſolide defenduntur, Helmſt. 1719. edito, pifcēm Ionae non amplius in muſeum eius Samaritanum transmutare audet, ſed quae in libro hoc narrantur, in uifione aut ſomnio, non reiſpa, Ionae contigiffe, atque adeo imaginaria tantum fuiffe, contendit. Paulo post, cum haec quoque explicatio autori ſuo, neque imme- ritio, diſplicere coepiſſet, totum Ionae librum  
aenig-

*aenigmata*, a nemine adhuc intellecta, et a se  
primum soluenda, continere, eodem anno,  
singulari libello, quem *Aenigmata Ionae* inscripsit,  
defendendum suscepit, ad quem titulum, *in Aenigma-  
tibus prisci orbis*, pag. 249. ita commentatur: *ani-  
mus tandem fuit sumendus, ut res Ionae dicerentur  
aenigmata*. At in his *Ionae* *aenigmatibus* soluendis  
nir doctus non magis, ac in prioribus hypothesisibus,  
sibi constat. Nam in libello, quem modo dixi, ea  
pro symbolis *rerum futurarum* accipit, ac nominam  
tim *Ionam* in mare proiectum, a pisce magno ob-  
sorptum, ac tertio post die redditum, pro symbolo  
gentis Israéliticae in exilium Assyriacum eiiciendae,  
in hoc ipso tamen mirabiliter a Deo conseruandae,  
et paulo post, si poenitentiam egerit, a fauibus ho-  
stium emersurae, et in pristinas patriae sedes reuer-  
surae, pag. 306. seqq. et pag. 310. Contra ea in  
posterioribus de hoc argumento libellis, ut in *Her-  
cule ex Carcharia*, in *Aenigmate Tobiae* cum grandi  
*pisce*, *a quo deuorandus*, pro *rebus Ionae* *illuſtrandis*,  
et in *Historia, lumine fontium Hebraicorum*, paucis  
post mensibus in lucem editis, *Ionas* nil nisi *rerum  
praeteritarum* symbola, siue historias, *aenigmatico*  
dicendi genere propositas, continere dicitur, eaque  
de causa cum *Herculis*, *Protei*, *Persei*, et similiūm  
heroum, cum monstribus marinis, h. e. cum feris gen-  
tibus, conflictatorum, fabulis, historice explicandis,  
comparatur. Quaenam uero historiae et res gestae  
in *aenigmatibus* *Ionae* quaerendae sint, autor ipse  
diu ambiguus haesit, In *Aenigmate* *Tobiae*, sub  
init.

init. pag. 416. edit. ult. pisces Ionam deglutiens ac in columnem rursus euomens, adhuc est effigies gentis *Assyriacae*, Nini uitarum imperii, quod gentem Israëliticam subegit, quo *Assyriorum imperio fracto*, captiuitas ista soluta, et genti libertas restituta est, uti *Ionas ex cero, a quo fuerat absorptus, uiuus erupit*. Sed quia hoc ne historiae quidem gentis Israëliticae, ex captiuitate Assyriaca nunquam in patrias sedes restitutae, congruit, cogitandum erat de alio populo, aut rege, ex captiuitate uere liberato. Succurribat *Manasses*, rex Iuda, in carcere Assyriaco aliquandiu detentus, et in regnum suum restitutus. Hunc igitur Ionas a Carcharia deglutitus, in priori *Ionae libello*, h. e. cap. I. et II. descriptus, uiro Cl. referre uidetur: *Iosias uero, Manassis nepos, sub iugo Assyriaco gemens, et in Cyaxare, Medorum rege, Ninum obsidente, spem imperii Assyriaci frangendi, aut euertendi, sed uanam, ut euentus docuit, collocans, Ionae, excidium Nini optantis, et cucurbitae foliis mox marcescentibus nimium confisi, imaginem exprimere, atque adeo argumentum posterioris libelli, h. e. cap. III. et IV. constituere dicitur, in Historia, lumine fontium Hebraicorum, c. VII. p. 506.* Vnum obstabat huic sententiae, quod Prophetia Ionas, Amithai filius, Manassis et Iosiae aetatem longe praecessit, ut qui iam ineunte Ierobeami II. regno, atque adeo centum amplius annis ante Iosiam regem, et praeterea non in regno Iuda, sed Samaritano, uaticinatus fuerit, secundum 2. Reg. XIV, 25. Sed nodum illum ita deinceps secare placuit, ut

IN R. I. H. HEVCHER.

K

pro-

propheta Ionas non magis pro scriptore, quam historia eius pro argumento libri diuini, nomine eius insigniti, amplius agnosceretur, et primo quidem Nachum, postea Chilkias Pontifex, uel quicunque alias autor, Iosiae temporibus aequalis, aut suppar, in locum eius surrogaretur. Sic ergo nomen *Ionae* non amplius gentem Israeliticam, siue Samaritanam, multo minus prophetam, tempore Ierobeami II. in regno eius clarum, sed in duobus prioribus capitibus Manassen, in duobus posterioribus, quae auctori nostro libellum Ionae posteriorem constituunt, Iosiam, denotat; *Niniue* non, ut in prima hypothesi, Samariam, regni Israelitici, sed *Ninum*, regni Assyriaci sedem, *nauis* *Ionae* non amplius rempublicam Samaritanam, sed Iudaicam, *nautae* non illius, sed huius, ciues, denique, ut cetera, ab instituto nostro alieniora, praetermittam, *Carcharias*, siue *cetus* Ionam deglutiens Lybonem, Syriae urbem, ad Orontem sub Libano sitam, locum custodiae, qua Manasses captiuus detentus est, donec in regnum suum restituatur, significant. Vide libellum uernaculum, *Hohe und helle Sinn-Bilder Ionae uon den Historien Manassis und Iosiae, nach ubralter Schreib-Art grosse Thaten der Herren abzubilden.* an. 1720. editum, Aenigmatibus prisci orbis p. 712. insertum, eiusque argumentum, in his summatim repetitum, p. 525. sqq.

Quod si haec talia commenta pro sensus ueri ac literalis scripturae S. accommodatione quadam thetorica et arbitraria, ad res alias, quam scriptores sacri intendunt, proponerentur; ut otiosi ingenii lusus,

Iesus, tantisper saltem, dum inter se apte cohaerent, tolerari possent. Sed dum pro ipso uero sensu scripturae S. omnibus interpretibus hucdum ignorato, et nunc demum, post decem annorum speculationes, inuestigato, uendantur, manifestum *idias ἐπιλύσεως* uitium committitur, et tale sacras literas interpretandi genus inducitur, quod cuius eas pro lubitu detorquendi, et ut ludum iocumque tractandi, potestatem concedit, atque adeo nihil firmi certique in iis relinquit. Quo enim argumento, quo saltem indicio, ex uerbis Iona deducto, probabitur, quod, ex intentione Spiritus S. in uno eodemque loco, nomen *Iona* modo gentem Israëliticam, modo regem quendam Iudaicum, ac speciatim in duobus prioribus libri capitibus Manassen, in posterioribus Iosiam, denotet? quod *piscis*, Ionam deglutiens, modo museum eius Samaritanum, modo populum uel imperium Assyriacum, modo Lybonem, Syriae urbem, quod *Niniue* modo Samariam, regni Israëltici, modo Ninum, regni Assyriaci metropolin, significet? Vel ipsa haec opinionum uarietas et inconstantia nouam illam interpretandi rationem suspectam reddit, et lubrico admodum fundamento niti, ostendit. Neque uideo, cur non *piscis* Iona eodem iure *Caroli XII*, regis Suecici, hospitium Benderense, ac Manassis custodiam Assyriacam, repraesentare possit. Quod ipsum Cl. Hardtius haud obscure concedit, quando in *Monumento Caroli XII*, Suecorum regis, Aenigmatibus prisci orbis praemisso, utriusque comparationem instituit, et pro aenigmatum

indole ac insita uirtute, Manassen et Iosiam in Iona,  
sub Caroli XII. Sueci umbra se exhibere, huiusque  
fatis, similes Manassis et Iosiae casus adumbrare,  
praefatur, pag. 27. Praecipue in ultima Ionae ex-  
positione, cui prae caeteris auctor palmam tribuit,  
et ad quam omnes priores libellos suos de hoc argu-  
mento editos, in annotationibus nouae illorum edi-  
tioni subiunctis, emendat, omnium minime toleran-  
dum, aut Christiano scripturae S. interprete dignum  
est, quod, ut hypothesi suae, de Manassis et Iosiae fa-  
tis per Ionam repraesentatis, locum fidemque faciat,  
ea, quae in Ionae libro relata legimus, uel Ionae  
Amithai filio, prophetae, siue, ut 2. Reg. XIV, 25.  
uocatur, *seruo Domini*, accidisse, uel ab eo scripta  
esse, gratis, et sine ullo idoneo argumento, imo con-  
tra clarissima scripturae S. testimonia, neget. Nam  
utrumque inscriptio et initium libri Ionae, c. I, I.  
2. 3. prius illud praeterea etiam uox Christi, sospita-  
toris nostri, Matth. XII, 39. cap. XVI, 4. et Luc. XI,  
29. 30. confirmat. Eadem ratione, librum Ionae  
demum post tempora Caroli XII, Regis Sueci, scri-  
ptum esse, probaret, quia huins, aequa ac similes  
Manassis et Iosiae, casus, in Ionae libro, adumbrari,  
agnoscit. Non negamus, prophetas aliquando  
parabolis usos esse, sed nec omnia prophetarum  
dicta propterea pro parabolis accipienda sunt, et  
ne uerae quidem parabolae, quas ipsa scriptura, ut  
tales, proponit, pro cuiusque arbitrio et ingenio, sed  
ex mente Spiritus S. in ipsa scriptura S. manifestis  
indiciis declarata, explicari debent. Tantis per uero  
dum

dum nullum parabolae indicium in ipsa scriptura S. suppeditatur, tenenda est regula hermeneutica, ne a proprietate uocum sine urgente necessitate discedatur. Hanc porro a litera discedendi necessitatem non affert narratio rei supra fidem tuam, aut supra ordinarias naturae leges, gestae, quando praesertim res eiusmodi in ipsa scriptura S. ut *signum*, siue miraculum, commendatur, sicut in Ionae ex ceto, non minus, ac in Christi ex sepulchro et morte reditu, factum esse, uidemus, et quando praeterea manifestam contradictionem non infert, id quod de neutro horum miraculorum dici potest. Recte Augustinus l. d. ad Paganorum cauillationes, paulo ante citatas, respondet: *quod aut omnia diuina miracula credenda non sint, aut hoc cur non credatur, causa nulla sit.* In ipsum autem Christum, quod tertio die resurrexit, non crederemus, si fides Christianorum cachinnum metueret Paganorum. Quanto magis ceteroquin et evidentius miraculum aliquod naturae vires transscendit, tanto maius et efficacius rei diuino nutu consilioque gestae argumentum praebet, dummodo id uere accidisse, constet. Atqui hoc de resurrectione Christi, miraculo, Ionae conseruationi ac restitutio- ni simillimo, negare nemo potest, qui ullam sacris literis, imo qui aliquam saltem testimoniis, qualia fidem historicam faciunt, autoritatem relinquit. Etenim Apostoli et Euangelistae uno omnes ore, neque uerbis obscuris, perplexis et ambiguis, qualia impostorum, fraudis suae latibulum et refugium sibi reseruantium, esse solent, sed palam et perspicue in

scriptis pariter ac concionibus suis, illam, ut funda-  
mentum fidei Christianae, annuntiarunt.

Quare nihil unquam frigidius et ineptius Bened. Spinoza contra religionem Christianam disputasse uidetur, quam cum resurrectionem Christi, ab Evangelistis et Apostolis descriptam, non sensu literali, sed mystico et allegorico, quali Paulus eam ad imitandum commendarit, accipiendam esse, contendit, in epistola XXIII. et XXV. ad Oldenburg. Parum tamen, quod doleo, ab illa Spinozae obiectione differt Hardtiana haec uerborum Christi, Matth. XII, 40. expositio: *Sicut Ionas in uentre ceti tres dies et tres noctes extitit, ita et Christum tres dies et tres noctes, tresue annos circiter, apud Iudeos commoraturum.* De triduo suae mortis et sepulturae Christum hoc loco immediate et proxime non agere, ipsa fatorum comparatio quoad omnes partes indicat. Neque enim Ionas triduo illo mortuus, ut Christus, sed uiuus orauit pro populo Israëlitico. Christus igitur triduum suae functionis, siue trium annorum ambitum uix multo longiorem fore, denunciat Iudeis, qui Christum diutius non essent toleraturi, sed matrurime e medio sublaturi. Neque Christus triduo integro, tribusque diebus et noctibus, in sepulcro fuit, sed in tertium solum diem, nec nisi duabus, iisque non integris, noctibus. Tribus uero annis integris et paulo ultra, tribus cum dimidio, uitam docendo apud Iudeos transagit. *SIGNVM igitur IONAE Iudeis a Christo datum, est par propinquai exilii denunciatio, ob parem utriusque populi improbitatem, in Comp-*  
*rati-*

ratione Ionae et Christi, Ionae in Carcharia subiecta,  
pag. 254. Quam uolenter uero hic mors et sepulta-  
ra Christi, per commorationem ἐν καρδίᾳ τῆς γῆς  
indicata, in functionem eius propheticam, et tri-  
duum in tres annos et sex menses conuertatur, quiuis  
lector, me non monente, intelligit. Quod de tri-  
duo mortis Christi, non integre exacto, obiicit, id  
ipse alio loco (in Aenigmatibus Ionae, p. 307.) im-  
prudens his uerbis soluit: *tridui plena descriptio ex  
communi hominum eloquio et scripturae stylo non nisi  
tertii diei interuallum aut terminum designat, tametsi  
duae solae noctes intercesserint, primi diei fine, et ter-  
tii diei initio, medio integro aestimatis.* Scilicet tria  
*τριήμερα*, siue tres dies naturales, quorum initia  
Hebraei ab ineunte nocte ducebant, phrasí Biblica,  
*tres dies et tres noctes* dicuntur. Vide e. g. 1. Sam.  
XXX, 12. 13. Esth. IV, 6, et pro exactis saepe repu-  
tantur, si qua duratio saltem primi finem et tertii  
initium complectatur, quod pluribus probant Sebast.  
Schmidius et Henr. Hammondus, in annotationibus  
ad Matthaei l. c. Maneat ergo, Christum aequē per-  
spicue resurrectionem suam, sensu literali, praedi-  
xisse, et cum signo Ionae comparasse, ac postea reaps-  
secutam, Apostoli praedicarunt.

Nullum praeterea fraudis suspicio hic locum ha-  
bet, qua Apostoli, uel ipsi decepti fuerint, uel alios  
deceperint. Erant enim Christi ex mortuis resusci-  
tati testes ἀνόπται, neque ad resurrectionem eius  
credendam per se proni ac faciles, sed adeo tardi et  
difficiles, ut eius ueritatem aegre, nec nisi post saepe

repetitas apparitiones, et *τεκμήρια* evidentissima, Spiritus S. gratia et uirtute confirmata, sibi persuaderi paterentur, secundum Marc. XVI, 11. Luc. XXIV, 11. 21. seq. Ios. XX, 25. Act. I, 3. Quod uero ipsi alios in hoc negotio fallere uel uoluerint, uel potuerint, ne minimo quidem indicio constat. Quin potius ex omnibus eorum dictis factisque summa sanctitas et sinceritas elucet, cum qua impostura omnium nequissima, et in ipsius Dei contumeliam redundatura, consistere nullo modo potest. Cum praeterea nemo gratis malus esse soleat, ecquid tandem commodi ex huiusmodi figmento sperare potuissent, praesertim inter hostes Christi potentissimos pariter ac infensissimos? Quod si unum uel alterum ea dementia fuisse putas, totum certe Apostolorum collegium cum quingentis amplius resurrectionis Christi testibus, 1. Cor. XV, 6. memoratis, nulla ullius honoris uel emolumenti spe proposita, atque adeo gratis, in eandem conspirasse, immo plurimos pro inutili mendacio fortunarum omnium discrimen adiisse, ipsamque mortem oppetiisse, neutquam fit uerisimile. Neque est, quod eos magistri sui amore, ad uanum eiusmodi commentum, et tot incommoda pro eo subeunda, induci potuisse, suspiceris. Nam cum nonnulli eum adhuc uiuum partim deseruerint, partim abnegarint, partim prodiderint, quis credat, illum mortuum omnes tam constanti ueneratione prosecuturos fuisse, ut nemo fraudem, si inter tam multos de ea conuenisset, enunciatet? Quid, quod huiusmodi in discipulis Christi amorem ne fingere quidem

quidem liceret, si ab eo, qui resurrectionem suam, et optima quaeque hinc exspectanda, toties promiserat, se uana spe delusos esse, sensissent. Facebat igitur hinc omnis suspicio fraudis, cuius si ullo indicio conuinci potuissent Apostoli, homines simplices, nulla que uel potentia, uel autoritate suffulti; non certe magistratus Iudaicus, omni occasione extinguendae religionis Christianae intentus, eam maiora indies in republica sua incrementa capere uidisset, nec usque ad huius excidium, ui et armis frustra oppugnasset.

Imitemur potius primorum Christianorum fidem, qui quanto certius resurrectionem Christi exploratam habebant, tanto sanctius memoriam eius et ipsi coluerunt, et posteris colendam commendarunt. Nam ut horum animis tanto altius ista defigeretur, non tantum anniuersarium, sed etiam hebdomadale festum ei, inde ab Apostolorum temporibus, atque adeo haud dubie horum consilio, et ipsius Spiritus S. instinctu, dedicarunt, conuenienter prorsus monito Apostolico: μνησόνεις Ιησοῦ Χριστὸν ἐγγερμένον ἐν νεκρῶν, 2. Tim. II, 8. Hinc dies dominicus aequac Paschalis Ignatio, aliisque Patribus Graecis ἀναστάσιμος, Latinis *dies resurrectionis* dictus est, utpote eiς μνήμην τῆς τῷ οὐρανῷ αναστάσεως institutus, ut est apud Eusebium, H. E. lib. III, c. 27. Speciatim festum Paschale anniuersarium maiori, quam omnia alia, religione, et per ipsos quinquaginta dies, usque ad Pentecosten olim celebrari solebat. Quod innuens Tertullianus singulas nationum solennitates unam Pentecosten implere non posse, scribit, de Idolol.

c. XIV. Conf. lib. de Ieiun. c. XIV. et de Corona Mil. c. III. Moris huius rationem reddens Ambrosius, Comment. in Lucam, *Quod si Iudaei*, inquit, *sabbatum ita celebrarunt, ut et mensem, et annum totum quasi sabbatum haberent, quanto magis nos RESVRRECTIONEM DOMINI celebrare debemus.* Et ideo maiores tradiderunt nobis Pentecostes OMNES *QVINQVAGINTA DIES.* His quinquaginta diebus, aequa ac die Dominica, Christiani stantes orabant, et genua ponere nefas ducebant, ut erecti resurrectionem Domini celebrarent, teste Tertulliano de Corona Mil. c. III. Resurrectionem uero Domini ita celebrabant, ut eius consideratione simul suae ad uitam aeternam resurrectionis spem alerent ac sustentarent. Qua de re Basilius in lib. de Spiritu S. pag. 352. *Necessario*, inquit, *hoc die ecclesia alumnos suos docet stantes absoluere preces suas, ut assidua commonitione uitiae illius nunquam desituae, non negligamus ad eam demigrationem parare uiaticum.* Quin et totum tempus usque ad pentecosten admonitio est resurrectionis, quam in illo seculo expectamus. Hanc, inquam, fidem uos quoque, Ciues Academicci, imitari, eaque erectos stare, et animos, a terrestrium cupiditatum sordibus abductos, ad coelestia tollere decet. Haec est prima illa Christianorum resurrectio, qua si resurrexisisti, *pergitate tandem superne querere, ubi Christus est, ad dextram Dei sedens, mortificantes membra terrestria, stuprum, immunditiam, mollitiem, concupiscentiam prauam, et auariam, quae est simulacrorum cultus,* secundum Apol-

stoli

stoli monitum, Col. III, 1. 5. Ita nouo homine induiti,  
*bebdomada in albis*, iuxta cum *die resurrectionis*, rite  
 celebrabitis, et quando *Christus manifestatus fuerit*,  
*uita nostra, tunc et uos cum illo manifestabimi in glo-*  
*ria.* Quod reliquum est, ad aram nobiscum, more a  
 maioribus tradito, frequentes procedite, et Veneran-  
 do sacerdotum ordini munus uestrum ne denegate.  
 P. P. Festo Paschali A. C. & 15cc xxiv.

*Quod programma elegans comitabatur hoc  
 carmen:*

**C**orrupit olim Leuctridas improba  
 Spartana pubes, robore corporum  
 Magno coactas, quae pudore  
 Dedebris moriuntur ampli.  
 Et tota sic est gens hominum malis  
 Polluta uafri daemonis artibus,  
 Excepta quando poma uesci  
 Callidus edocuit sophista.  
 Moerore uictus mox Scedasus necat  
 In filiarum se tumulo pater,  
 Atque execratur turpe diris  
 Id iuuenum facinus Laconum.  
 Caelestis ipsum se pater haud dedit  
 Mortalium pro gente, sed unicus  
 Natus Dei fratrum misertus,  
 Spicula mortis acerba suffert.  
 Thebanus autem Dux Scedasum uidet,  
 Collacrymanteis Leuctridas et simul,

In

In somnio cum pugna felix  
 Leuctrica Martis habenda saeui.  
 Somnis fruantur somnia! prodiit  
 Christus sepulchro uiuus et agmina  
 Vere subegit Tartarorum,  
 Duxit et in celebri triumpho.  
 Mactanda uirgo candida manibus  
 Est filiarum, ceu Scedasus iubet,  
 Boeotiorum strenuorum  
 A ducibus populoque toto.  
 Thebanus horret dux pius hostiam  
 Tam barbarem, nec soluere sustinet,  
 Quod postulatum est, nec negare,  
 Consilii dubiusque pendet.  
 Mysterii sed sensa Theocritus  
 Pandit, subacta praeditus indole,  
 Cudentis et fatale corpus  
 Iussit equae miseris litare.  
 Facto periclo coniicit in fugam  
 Gentem Laconum Pellopidae ducis  
 Virtus, et ausu priuat omni  
 Helladis imperio secundo.  
 Non erubescis, Musa, tot horrida  
 Figmenta uerbis pangere pluribus?  
 Christus Stygis uictor potentis  
 Postulat haud hominis cruentum,  
 Da pectus. Haec nam uictima perplacet,  
 Pectus, coruscat quod nitida fide,

SIC.

SIC· DOCTE· MECVM· CIVIS· OFFER  
MVNERA· LARGA· DEI· MINISTRIS

P. P

FESTO PASCHATIS AN<sup>o</sup> C<sup>o</sup>D<sup>o</sup> CCCXXIV<sup>o</sup>

\* \* \*

Die 10. Aprilis Dissertatio Physica, exhibens, *Cogitationes de Anima humana sobrias* Praeside D. MART. GOTTHELFF LOESCHERO, *Phys. P. P.* *Ordin. Med. Extraord. etc.* a PETRO FRIDERICO KVSCHIO Sleswicensi, publico eruditorum examini submissa fuit, Vitemb. Lit. Gerdes. pl. 3.

I. Ut homo creaturarum praestantissima sic animam partem hominis excellentissimam esse, eamque uerum et genuinum uitae, motus, sensus, aliarumque actionum animalium in homine principium constituere asserit. II. In animae inquirit essentiam, atque uariis Philosophorum de hac materia propositis et examinatis sententiis, suam quoque interpolavit, dicens: animam esse rem immaterialem percipientem intelligentem cogitantem, corpus regentem, et cum eodem arctissime coniunctam. III. Inter animae proprietates, primo loco perceptionem, quam animae potentiam, ea quae ipsi in cerebro ab organis sensoriis repraesentantur, percipiendi et agnoscendi appellat ponendam esse, docet. IV. Perceptioni adiungit cogitationes, quas per compositiones et repetitiones illarum rerum, quae animae occasione sensuum externorum proponuntur, ab ipsa mente proprio nisu institutas atque ab ipsius vir-

uirtute cogitandi dependentes, definit, et simul Cowardi definitionem cogitationum, qui materiales statuit cogitationes, refutat. V. Animae cum corpore coniunctionem, pariter eius proprietatibus anumerandam esse, sentit, et repudiata ueterum deuinculo animam cum corpore coniungente sententia, quod spiritus animales constituere statuebant, illis conuenientiam actionum animae, cum actionibus corporis substituit. VI. Sedem animae fixam assignat, quam tamen non esse totam secundum Aristotelem in toto corpore, neque eandem in corde, uel in sinistro stomachi orificio, ut sentiebat Helmontius, neque ut uult Cartesius in glandula pineali, sed potius in centro ouali, ceu neruorum principio residere asserit. VII. Mentis quoque esse proprietatem, indicat uim se multiplicandi, quae an per traducem aut inducem fiat in medio rerum dubiarum quae humani uires ingenii superant relinquit et pariter experimenti illius Chemici uanitatem, quo Rikinson propagationem animae demonstrare annititur, ob oculos ponit. VIII. Peculiarem porro animae proprietatem uim diuinandi iudicat quam potentiam in obscura atque ignota penetrandi, eademque explicandi, futura naturalia aliquando praesagiandi etc. appellat, idemque uariis argumentis confirmat. IX. Ingenium huc etiam referendum esse dicit, quod mentis appellatur potentia, qua aliquid cogitando facile inuenire, res ab alio propositas cito capere, et firmiter tenere atque utrumque recte expendere ualemus. X. Operationes animae

ex-

explicate aggreditur, quarum primam esse intellectum ait, illumque describit per animi uigorem, quo mens intelligendo in se ipsam reflectitur atque ex occasionibus cogitandi a sensu atque imaginacione subministratis, proprioque instinctu notiones format uarias, usque inter se collatis, ratiocinando eo prouehitur, ut non solum res materiales sed etiam immateriales concipiatur atque apprehendat. XI. Voluntatem alteram mentis ponit operationem, qua ad ea, quae intellectu grata cognouimus nos promptos deprehendimus auersantes e contra ista quae nos male habent; Hac simul occasione ingeniosis argumentis eorum reiicitur sententia, qui tertiam animae operationem in excitandis morbis praecipue occupatam statuunt. XII. In exponendis animi affectibus est occupata, quos magnas animae commotiones cum insigni succi neruosi et sanguinis agitatione coniunctas appellat, harumque tres praecipuas statuit species nempe admirationem, amorem atque odium. XIII. Ex amore, ceu fonte, Cupiditatem, Libidinem, Voluptatem, Laetitiam, Generositatem, Superbiam, Ambitionem, Existimationem, Benevolentiam, Amicitiam, Deuotionem, Venerationem, Spem et Gratitudinem, cum adiunctis dictorum affectuum definitionibus, deriuat. XIV. Odium ceu fontem Metus, Desperationis, Terroris, Consternationis, Tristitiae, Irae, Contemptus, Fastidii, Ingratitudinis, una cum horum affectuum definitione proponit XV. De mixtis animi pathematibus, nimurum de Misericordia, Vindicatione, Inuidia, Ze-

loty-

lotypia et Pudore agit. XVI. Triplicis generis remedia ad dirigendos animi affectus suppeditat, fortitudinem animi 2. Auersionem attentionis a rebus nos uehementius percellentibus, 3. Bonam educationem qua affectus coercete a teneris rite doce-  
mur. XVII. Et foetus in utero pathematum animi participes esse uariis probat argumentis, praeci-  
puum uero desumitur a succo nutritio, quem a ma-  
tre recipit, pro cuius uaria conditione ipsos uaria-  
re affectus in adultis manifeste deprehendamus.  
XVIII. Ad sensationem tria maxime requiri af-  
serit, nimirum obiectum externum, organum senso-  
rium commouens, secundo nerus hancce organi commotionem ad animam traducens, et tertio ani-  
ma hancce impressionem percipiens. XIX. Ab exte-  
nis sensationibus, internas nempe phantasiam et me-  
moriā oriri perhibet. XX. Motum omnem uolun-  
tarium ab anima proficisci atque ab ea uarie dirigi ua-  
riis rationibus demonstrare annititur. XXI. Disser-  
tationi huic finem imponit, allegans Francisci de la Boefyluii uerba e praxi huius Medica desumpta, quae egregium praebent lumen ad cognoscendum mo-  
dum operationum mentis.

GEBHARD. CHRISTIAN. BASTINELLERVS,  
Ictus Sac. Reg. Mai. Pol. ac Princ. El. Sax. Consil.  
Aulae et Iustitiae, Curiae item Prouinc. Elect. Consist.  
Ecclesiast. Ord. Iurid. Assess. nec non Digesti Vit. P.P.

Is laudari moretur magis quam cupit. Ex eo enim,  
quo ad munus Professoris in hanc Almam uocatus est  
strenue quod suarum est partium peragere consuevit

ac

ac in docendo, disputando, deque iure respondendo  
nemini dexteritate concessit. Cumque in his singulis  
ita uersari soleat, tanquam id unum sibi agendum  
existimet: fieri non potest, quin de hac Academia,  
tum etiam de Collegiis, quibus ipse assidet, praeclare  
mereatur. Faxit Deus ut diu incolumem uenerari  
Vitteberga queat!

Eo Praeside d. 12. April. de Priuilegio Ferdinandino ad mediatos utriusque Lusatiae Vasallos non extendendo, publice disceptauit IOH. RVDOLPHVS LEHMANNVS, Stollberga Misnic. Iur. Utr. Cand. Habet ea Disputatio, quae 6 $\frac{1}{2}$ . plag. constat, §. 23. quibus sequentia traduntur.

§. 1. Quamobrem de bonis feudalibus disponere pro lubitu prohibeatur Vasallus? §. 2. Cuius rei afferuntur limitationes. §. 3. Transitus ad Lusatiae utriusque Vasallos, quibus alienatio libera, irrequisito marchionis consensu singulari priuilegio est permissa. §. 4. Quod priuilegium uariis modis limitatur ac restringitur. Eius rei exempla. §. 5. ratio thematis propositi. In notis subiicitur Priuilegium Ferdinandinum duplex supra memoratum. §. 6. Ad mediatorum ordinem Vasallorum in Lusatia, quinam referantur? Dubia remouentur. §. 7. Ad mediatos Vasallos nequaquam pertinet memoratum Priuilegium, cum ad solos immediatos diserte restringatur. An ciuici ordinis Vasalli, sed immediati, eo gaudeant nondum est expeditum. Rectius tamen negatur, §. 8. De Lusatiae inferioris Vasallis multo magis in plexo est sententia. §. 9. Pro mediatis adducuntur

tur argumenta quae §. 10. §. 11. et §. 12. cumulantur, sed §. 13. non persuadent. §. 14. Strictissime enim dictum priuilegium accipi debet. §. 15. 16. 17. et 18. rationibus cum generalibus tum specialioribus negantem firmat sententiam §. 19. Dissentientium obiectiones remouet §. 20. reliquis priuilegii capitibus dicta sententia ulterius confirmatur §. 21. Argumentum ex aequalitate onerum de promtum simul cum aliis refellitur. Ad textus Iuris Longobard. respondetur. §. 22. Omnes immediati Vassalli, siue nobilis s. burgensis sint conditionis, hoc priuilegio gaudent. §. 23. Finis. Cui Responsum Ord. Iurid. Vitteb. apprime hue faciens, subiicitur.

Die 13. April. Dissertatio Iuridica publice habita est de effectu oblationis ad iurandum mortuo ante praestationem offerente sub praesidio GEBHARDI CHRISTIANI BASTINELLERI. Icti, Sac. Reg. Mai. Pol. ac Princ. Elect. Sax. a Consil. Aulae atque Iustit. Curiae Prou. Elect. et. Consil. Eccl. Assel. Digesti uet. Prof. Publ. itemque Scabin. et ordinis Iurid. Assessoris, quam defendit IO. BENIAMIN MVNCH Dresd. lit. Viduae Gerdes. pl. 3. Constat ea 23. §phis.

§. 1. Causam impulsuam eligendi hanc materiam notat in §. 2. exponitur, non legalia, quorum species quaedam recensentur, sed iudicialia, annexa etiam intuitu iuramenti relati cautela obseruatu digna, oblationem ad iurandum requirere exc. causis matrimonialibus, criminalibus, iniuriarum aliisque leuioribus, in 3. §. oblatione peracta remedia alias ante eam competentia cessare in

§. 4.

§. 4. heredes, si defunctus ad iuramentum se non obtulerit ad iuramentum credulitatis, tribus tamen requisitis notandis admitti debere nec aliis iuris beneficiis, quippe quae L. non adimat, priuari debere in §. §. oblatione facta, iuramentum pro praestito haberi in cuius asserti rationes, fundamenta in seq. §§. inquiritur, iuxta §. 6. ius Rom. quia iuramentum in continenti praestandum erat, nec tali oblatione qualis in Sax. requiritur, non opus erat, nequidem iuramentum credulitatis ab heredibus nisi deferens sua sponte rem heredum conscientiae committere uelit, praestari praecipit, potius declarat, alio impedimento cur praestari nequeat, interueniat, probationes rerum cadere §. 7. eandem Iur. Ciu. dispositionem obseruari quoque Iur. Sax. com. monet, §. 8. iudicia Sax. ab hac sanctione recessisse §. 9. uero, hanc consuetudinem ad alias terras ug. Lusatiam extendi non debere monet, §. 10. sistit rationes doctrinae praesentis §. 11. opponit Doct. quibusdam quodammodo dissentientibus aliquot DD. Sax. de usu fori Sax. testantes tradita hactenus extendit 1.) §. 12. ad euentualem oblationem 2.) §. 13. ad eos qui aliorum nomine ad iuramentum se obtulerunt sed requirit ut non forte ab officio, cui praesunt, depositi sint, sed mortui sint. Has amplificationes nunc sequuntur restrictiones et primam exhibet §. 14. quando sc. defunctus tergiuersatus est, quaenam uero tergiuersatio habenda sit in §. 15. monet, nec iuxta §. 16. heredibus praeiudicat, si forte animum tergiuersandi cuidam amico aperuerit patronus causae cum nulla fini-

stra suspicio exinde aduersus offerentem oriatur, secundam restrictionem denotat §. 7. quando iuraturus tenorem iurandorum non habuit cognitum 3 tiam rest. indicat. §. 18. quando in Termino iuratorio super conceptione iurisiurandi controuersia excitata, offerens ante publicatam sententiam mortuus est, quarta restr. continetur in §. 19. quando oblatio si mentalis fuerit 5ta in 20. quando LL. nullam oblationem requirunt. 6ta in §. 21. si tutor 1 curator pupillum uel curandum ad iuramentum obtulerunt, 7ma in §. 22. generalis est quando defunctus suspicionibus perjurii grauatur §. 23. eos, qui nunquam heredibus iuramentum cred. esse imponendum censem, refutat et suppeditat consilium contrarium suadens cum hac tamen limitatione, si defunctus fuerit uir honestus et pietatis laude condecoratus, heredes uero sint pupilli uel minores:

### *Corollaria.*

#### 1.

Quando deferens iusiurandum, ante sibi factam relationem moritur relictis ipsius heredibus neque illud de credulitate referri potest, modo referens maiorem rei, iuramento aperienda scientiam habuerit.

#### 2.

Purgatorio iureiurando alicui in causa criminali uel etiam in causa denuntiationis iniuncto, reoque uocato ante eius praestationem defuncto, ipsius heredes etiam in Sax. Electorali, eas expensas, quae in inquisitionem factae sunt, restituere non tenentur.

Die

Acta

Die 14. April  
Sponsaliorum,  
FALTHAS. W.  
publice uentila  
CVSWERNH  
grammate pla

§. 1. Occ  
tatus nudo  
Sponsalibus  
obligatoria  
turis Spons  
sub conditio  
§. 4. Pacim  
brari intellig  
ab ipsis spon  
ostenditur.

nis de prae  
nonicum,  
salibus, ob  
hae doctri  
culari de  
quidem du  
ferationis  
eliduntur,  
singuli Sph  
instituti ne  
tationem

Progra  
conscriptie

Die 14. April. de obligatione ex pactis futurorum Sponsaliorum, uulgo *vom Ja-Wort*, Praeside IOAN. BALTHAS. WERNHERO, Icto excellentissimo, publice uentilandum proposuit IOAN. FRIDERI-CVS WERNHERVS, Aduoc. immatr. plag. 6. et programmate plag. 2.

§. 1. Occasio praesentis instituti. §. 2. Inter tractatus nudos Sponsaliorum, et pactum de futuris Sponsalibus ineundis permultum interest. Haec obligatoria sunt, illa non aequa, §. 3. Pacta de futuris Sponsalibus ineuntur uel pure, uel in diem aut sub conditione. Quod qua ratione fiat, ostenditur, §. 4. Pactum de sponsalibus futuris quomodo celebrati intelligatur. §. 5. Pacta de futuris sponsalibus ab ipsis sponsalibus nullo iure distinguuntur. Quod ostenditur. §. 6. Sponsalia, quae moribus hodier-nis *de praesenti* audiunt, sunt omnia, iuxta ius canonicum, *de futuro*. Pactorum, de futuris sponsalibus, obligatio, confirmatur ulterius. §. 7. Ab hac doctrina longissime recedit Thomasins, peculiari de hoc argumento dissertatione. Cuius quidem dubitandi rationes ita in praesentis Dissertationis Sphi reliquis expenduntur, diluuntur ac eliduntur, ut, si commemorare omnia illa uellemus, singuli Sphi huc essent transcribendi. Quod cum instituti non ferat ratio, ad ipsam laudatam Dissertationem WERNHERIANAM ablegamus.

Programma, quod occasione huius dissertationis conscripsit, eam tractat quaestionem, in foro non

ratio obuiam: Utrum scil. eo casu, quo arrestum in bonis feudalibus a iudice, qui dominium directum rei feudalis simul habet, impetratum, in dubio, sicuti Dominus se non declarauerit, in ipsam feudi substantiam, an uero in huius fructus atque commoditates solummodo, concessum intelligatur? Illo negato, hoc affirmatur, nulla distinctione habita, feudum proprium an uero improprium fuerit. Quod latius Excellentiss. Auctor persequitur, ac deinceps de Candidati sui uita exponit.

\* \* \*

Die 16. Aprilis memoriam Beati BVC-CII, Summi Ecclesiarum Saxoniarum Antistitis oratione prosecutus est BVCHE-RVS, noster Antiquitatum P. P. ad quam audiendam Magnificus Dominus Academiae Rector, Ciues sequenti Programmate innitauit.

**D**Esiderio, quod nondum mitigauit dies, pio tamen, prosequimur memoriam IOANNIS CHRISTIANI BVCCI, tanta uirtutis, coniunctae cum doctrina, laude, in sacro amplissimoque gradu, clari, ut hic certe, quoad uixit, Pontium quendam Paulinum reddidisse uideatur. Paulinus, in Aquitanis natus, Burdegalae a Decio Ausonio eruditus, tantum cepit in-

ingenii cultum, ut haberetur in elegantissimis aetatis sua. Scriptor politus, poeta uenustus, ut epistolae illius, ut carmina uarii generis, testantur. Buccius in Saxonibus Grafenheynichenae, A. clo, loc, LXXII, oriundus, in literis sic profecit, ut his, id si egisset, excellere potuisset. Adolescentis ingenio subuenit auctoritas consilii Saueresfigiani, quam sagacis, tam benefici, quo et exacuebatur illius industria, et beneficiis aliunde curatis, fouebatur. Habuit apud nos Buccius elegantiae magistrum Schurtzfleischium, testem simul habuit ingenii praeclari liberalissimumque praeconem. Siue enim prorsa uteretur seu uorsa, prisci erat exempli. Adiecit philologiae sacrae studium, adiecit philosophiae, ducibus haud poenitendis, Daf-souiiis, Rhoerenseis, Cnorriis, usus. Fidem docilitati faciunt specimina uariae doctrinae atque exquisitoris, hic et alibi praeclare data. In his extat Carmen, triginta linguis olim scriptum, quod indicum facit operaे, Orientis Occidentisque studiis nauatae. Laudantur ex eiusdem scriniis, Thesaurus Orientis e pluribus linguis, Samaritana, Arabica, Aethiopica, Persica, Turcica, Pinax Geographicus S.

et alia, confecta quidem ab illo, sed nondum edita in lucem. Caussas orauit Paulinus, in Vrbe hac iuris scientia altius, ad ipsum denique consulatum, euectus. Alio spectauit Buccius, sacris deditus, iuris tam en cognitionem non indignam duxit, quam, ab Heberis Schreiterisque traditam, proprius exploraret. Honores Paulinus cum sanctioris uitae disciplina commutat, ab Ambrosiis, Hieronymis, Augustinis, absentibus etiam, institutus. Fit sacerdos Barcinone, mox, latius manante virtutis fama, Nolanus antistes. At Buccius, propositi tenax, mystagogos apud nos obseruat Deutschmannos, Loescheros, Hannecenios, Neumannos. Lipsiae Carpzouios adit, Schmidios, Guntheros. Audit etiam doctores alios, in his maxime Ittigios, et Cyprianos ab his physica edoctus, ab illis, res in coetu diuino gestas. Ingente m, utroque in loco, sui spem praebet. Accitus A. cl, l, cc, Torgauiam, capit sacerdotium, inferioris quidem loci, sed ea munieris gerundi facultate, quam summus deceret. Hoc ibi, duodecim post annis, augetur, auctus dignitate Torgauiensis praefulsi, sed hanc, undecimo post

post anno, excedit, Dresenae, in praecipua Saxoniae, qua rem diuinam facit, sede collocatus. Paulinus, quanta docendi fide, tanta uitae sanctimonia, eluxit. Ari-anis infensus, religionis integritatem defendit. Mores saeculi corruptos emendauit seueritate, comitate tamen et declarauit animi mansuetudinem, et homines quamlibet feroce cepit. Re bene gesta, deceffit, natus annos duodecaginta, carus omnibus multumque desideratus. Narratur hic posteris meditando solers, explicando perspicuus, eloquendo disertus, suauior tamen, quam acrior, ab ostentatione ingenii tam alienus, ut Virgilium, huiusque similes, quos memoria teneret et iuuenis expressisset, ne nominari quidem uellet, ad institutionem suorum tam attentus, ut cum coelesti semper sapientia loqui mallet. Animi per omnia considerati, ipso uultu mixtam modestiae grauitatem spirans, paruo contentus, in pauperes effusus. Haec indeles Buccii, hi mores, haec agendi docendique ratio, quae tantum auctoritatis illi peperit, quantum caritatis. Nihil antiquius habuit religione casta, nihil asseruit cupidi-

us fartumque praestitit atque tectum. Tanto grauiustulit saeculi licentiam, quae sibi quo plus indulget, hoc capitaliores hominum mentibus et omni Reipublicae pestes infert. Vedit tamen, quanta sit communis naturae fragilitas quantam in animos uim habeat paterni moniti sensus, nec infeliciter iudicauit, animi ulcera oratione leni, uelut oleo quodam delibuta, facilius saepe numero, quam asperitate, sanari. Nihil attulit, nisi meditatum et probe digestum, nec acumen probauit, quod lumen desideraret. Habuit in numerato ubertatem lacteam, habuit faces, quas animis admoueret, sed hos ipsos, promitis ingenii placidique studio, ducere potius, quam rapere, consuevit. Profana profanis reliquit, aut in sacros conuertit usus, sic, ut appareret profani nihil. Nihil doctum putat, nisi quod salutare sit, nihil, uere disertum, nisi quod ex ore diuino promptum. Nec dicti prodigus neque facti, uitiae prudentiam moderationemque ipso commendat sui aspectu. Non appetit multa, et, quae hahet, his sibi uidetur recte frui, iisdem simul egentes si fruantur. Vitae spatio non aequiparat

Pau-

Paulinum, altero et quinquagesimo aetatis anno, quem tamen medium uix exegit, Dresenae, quo accesserat anno proximo, extinctus. Sed hoc maiore Buccius ferratur laude, qui uitiae breuioris exemplum reliquerit, saeculis quamlibet longis colendum. Pluradicet V. C. SAMUEL FRIDERICVS BVCHERVS, Professor Antiquitatum Publicus extra ordinem meritissimus, atque, in Buccio quanti fuerit instar Theologi, *die Louis proxima*, ab hora *IX. matutina*, in *Auditorio Maiore*, oratione anniuersaria, luculenter exponet. Adeste uos humanitate uestra, Ciues, et officium praestate, quod memoriae decorum, nostris quondam praeceptis altorum, nostris ornatorum honoribus, debetur, P. P. XVI Calendas Maias, anno, quam redditum est in gratiam, c<sup>lo</sup>, l<sup>o</sup>, cc, xxiv.

\* \* \*

Die 18. April. *Ius testandi Prodigio contra communem sententiam assertum*, Praeside CHRISTIANO HANACCIO, Phil. et Iur. Utr. D. sub examen misit ac tuitus est IOAN. ABRAHAM. FRENCE-LIVS, Schoenauia Lusat. I. U. Cult. plag. 7. §§. 70.

§. 1. Id potissimum hic in controuersia est positum, utrum homini prodigo, cui bonis rite ac legiti-

gitime interdictum, testamentum condere liceat.  
§. 2. Iis respondeatur, quibus inutilis haec quaestio,  
ac plane otiosa forte uideri possit. §. 3. Propius ad  
institutum accedit, eiusque tractandi methodum  
exponit. Primum de Iure Iustinianeo. §. 4. In  
causas ac rationes, cur prodigi, antiquitus, apud  
Romanos testari haud potuerint inquirit accuratius.  
§. 5. Vulgaris ea de re DD. sententia, quae reiici-  
tur. §. 6. Prodigus cum furioso male comparatur.  
Quod §. 7. ulterius monstratur. §. 8. Ad textum  
Iur. Can. respondeatur. §. 9. Cum minore opportu-  
nius confertur prodigi, quod §. 10. latius diducitur.  
§. 11. Ad alteram prohibitae testamenti factionis  
causam transit, quam nonnulli in iure Comitiorum,  
cuius expertem uolunt prodigum, ponunt. Tho-  
masii de hoc sententia. Cui §. 12. et 13. respon-  
detur. §. 14. Maxima inter curam utramque, fu-  
riosi scil. et prodigi, intercedit differentia. §. 15.  
Ad textus iur. ciu. respondeatur. Schilterus refel-  
litur. §. 16. Lectio legis LL. XII. Tab. a Godo-  
fredo, ac Fuluio Ursino, restituta notatur. §. 17.  
Prodigos Comitiorum ius penes Rom. habuisse,  
aduersus Thomas. defenditur. §. 18. Quicunque ius  
ciuitatis ap. Rom. habebat, in dubio quoque suffra-  
gii iure gaudebat. Hoc ius, quomodo amitti po-  
tuerit. §. 19. Dictorum ad Prodigum applicatio.  
§. 20. Ob uitium prodigalitatis ciuem Rom. aera-  
rium fuisse factum uerosimile non uidetur. §. 21.  
Sententia Thomasiana ulterius examinatur. §. 22.  
Ex dictis concluditur, cum iure suffragii testamenti  
factio-

factionem tolli haud potuisse. Causa ac origo erroris communis. §. 23. Per interdictionem bonorum iuris communis totius iacturam haud passus est prodigus. Quod demonstratur §. 24. aerarios ius testandi haud habuisse uerosimile est. §. 25. aliae adducuntur rationes quae a testamenti factione ex D D. quorundam sententia, prodigum repulerint. Quibus tamen respondetur. §. 26. 27. 28. et 29. Colligitur, indicem ex officio bonis interdicere prodo, nec illum ipso iure tales fieri. §. 30. Textus Iuris Ciu. explicatur §. 31. et 32. sententia auctoris ulterius confirmatur, §. 33. D D. supra citatorum opinio pluribus refellitur. §. 34. argumentum a fauore heredum legitimorum desumptum eliditur. §. 35. ad quartam communis opinionis rationem, qua scil. D D. propterea a testamenti factione arcent prodigum, quia is cum infamibus, et insigni aliqua turpitudine notatis, eodem loco habetur, respondet eamque refellit. §. 36. neque ex solenni formula, in bonorum interdictione olim usitata, (quae recentur) quidquam iuuari ea sententia potest, quod §. 37. et 38. ostenditur. §. 39. An ne infamia facti laborare dicendus saltet prodigus sit, disquiritur; nec omni labore carere illum, asseritur. §. 40. Id quod tamen non obstat, quo minus testamentum condere prodigus possit. Quod §. 41. 42. et 43. multis rationibus confirmatur. §. 44. Interdictio bonorum, modo recte explicetur, uera solidaque causa fuit, ob quam antiquitus, penes Romanos prodigi testari non potuerunt. §. 45. Nec obstat, quod interdictio bono-

bonorum tantum ad negotia inter uiuos pertinere uideatur. §. 46. Obiicitur, multis ac infinitis modis contractus ab ultimis uoluntatibus discrepare. §. 47. Cur in praesenti ab alienatione inter uiuos ad ultimas uoluntates arguatur? §. 48. Cur testamenta apud Romanos per modum negotii inter uiuos, ac speciatim per emtionem uenditionem fieri moris fuerit? §. 49. Testamenti, quod per aes et liberam fieri apud Rom. dicebatur, a pragmaticorum inuentionibus origo esse uidetur. §. 50. Non male Theophilus scripsit, qui, heredem fuisse entorem familiae scripsit. Iis, qui propterea reprehendunt Theophilum respondetur. §. 51. De emtione illa familiae ulterius. §. 52. Quid circa mutationem ultimae uoluntatis hic iuris fuerit. §. 53. Cur testamentum condere ob bonorum interdictionem non potuerit prodigus, clarius demonstratur; Dissentientibus respondetur. §. 54. Ulterior ad argumenta dissentientium responsio. §. 55. Ex dictis necessario consequitur, cum cessante iuris ratione desisse quoque ipsam iuris prohibitionem. Quod latius ostenditur. §. 56. hypothesis auctoris aliis multis rationibus confirmatur. §. 57. Liberi, cur testamentum patris sui, prodigi impugnare facile nequeant? §. 58. Inter testamentum prodigi et non prodigi nihil omnino discriminis intercedere uidetur. §. 59. Auctoritas Tribonianii quare non mouere debeat hic. §. 60. Incertitudo iuris Iustinianei sibi relictii, summa, quod ad testamentum prodigi attinet. §. 61. De Nouella 39. Leonis. An recepta illa in Germania

Acta  
mania sit, dubita  
Leonis, cum N  
terdictionis ver  
el, qui sane test  
rit, testamentum  
rum, §. 66. Ip  
preatio DD.  
§. 68. et 69.  
traditur exce  
Ubi haec Le  
nissima testa  
etius dubia, n  
mento prodig  
dicatum, obti  
  
Decadem  
GEBHARD  
Icto, Sac, Re  
siliario Audi  
Academia Vi  
Disputatione  
10. CHRIST  
  
Partis credi  
filii denuo dat  
uatum debiti i  
uit. Otto i  
creditorum,  
terno ipsi p  
meritoque p

mania sit, dubitatur. §. 62. quae ratio instituti fuerit Leonis, cum Nouellam hanc conderet. §. 63. Interdictionis uerba declarantur. §. 64. Prodigus non est, qui sane testatur. §. 65. Cur Leo, cum potuerit, testamentum prodigo non plene asseruerit, mirum. §. 66. Ipsa Leonis haec sanctio, ac eius interpretatione DD. usitata, dubiis non caret. Quod §. 68. et 69. Per illam constitutionem Leonis non traditur exceptio, sed ipsa regula tollitur. §. 70. Ubi haec Leonis Nouella recepta est, prodigo plenissima testamenti competit factio. Ubi receptio eius dubia, nullum argumentum idoneum pro testamento prodigi desumi potest, sed res eo modo, quo dictum, obtainenda est. Finis.

\* \* \*

Decadem Obseruationum Forensium Praeside  
**GEBHARDO CHRISTIANO BASTINELLERO**,  
Icto, Sac. Reg. Mai. Pol. ac Princ. Elect. Sax. Con-  
filiario Aulico atque Iur. Prof. Publ. Ordinario in  
Academia Vitembergensi ad D. 19. Apr. clc xxiv.  
Disputatione publica tuitus est Autor et Respondens  
**IO. CHRISTIANVS POSERVS**, Schoenau. Misn.

*Obseruatio. I.*

Patris creditor esse definit ille, qui, mortuo patre, filii denuo datam fidem est secutus et hunc per renouatum debiti instrumentum pro solo debitore agnouit. Orto itaque dehinc super filii bonis concursu creditorum, filiae ob dotem quam filius ex feudo paterno ipsis praestare debet, istiusmodi creditor, iure meritoque praefreruntur.

*Obs.*

*Obs. II.*

Dispositio Legis XI. Cod. qui pot. in pign. secundum quam publica hypotheca priuatae, nullo habito temporis discrimine, praefertur, ad hypothecas tacitas siue legales haud pertinet.

*Obs. III.*

Actio de pauperie contra dominum animalis institui nequit, si quando serui conductitii, immo etiam laesi, uel eius parentum, culpa concurrit.

*Obs. IV.*

Pacta successoria, eaque renuntiatiua, etiam in terris Saxoniae Electoralis a foemina sine iuramento valide fieri possunt.

*Obs. V.*

Iudex inferior, qui alterum, neglecta prouocatio-ne, carceri tradit, praeter poenam, superiori magistratui soluendam, incarcerated quoque ad Emdam Saxonicam obligatus est.

*Obs. VI.*

Sub uerbis: *Nähesten Freunden*: intelliguntur proximi heredes ab intestato.

*Obs. VII.*

Ex promisso: *Es wollen die Einwohner zu N. in der Mühle daselbst, wie uorhin, willig mahlen, iedoch, daß sie auch gebührend gefordert und ihnen das ihrige zu gute gemacht werde: ius cogendi pro re nata colligitur.*

*Obs. VIII.*

Ex Documento, in quo neque nomen, neque praenomen creditoris expressim legitur, executiue agi potest,

potest, modo alias de eo satis constet: e. g. quando debitor scripsit: *Mein Bruder.*

*Obs. IX.*

Iudex ob denegatum consensum in oppignorationem, de qua inter creditorem et debitorem iam conuenerat, modo ex eius parte dolus vel culpa absit, ad damni reparationem conueniri nequit.

*Obs. X.*

Qui tantum ex incuria perjurium commisit, poena remotionis ab officio et relegationis merito liberatur: alia tamen mitior poena ei recte infligitur.

\* \* \*

Die 25. Aprilis Dissertationem Philologicam Graeco conscriptam idiomate proposuit, eademque differens lingua hancce defendit Auctor et Praeses eiusdem CHRISTIANVS GODOFREDVS STENTZELIVS, Torgauiensis, Philosophiae et Medicinae Doctor, ac Practicus Vitembergensis. Cum uero paucos hodie Graeca lingua fautores habeat, ita ut plurimi huins sint expertes, hinc in gratiam literatorum, dictam ignorantium linguam, summaria illius Latina communicabimus dialecto, ipse uero titulus huius dissertationis in Latinam e Graeca conuersus linguam sic se habet. Dissertationem Physiologicam de bono et malo ingenio, diuersis illorum causis et modo easdem recte dirigendi, Praeses CHRISTIANVS GODOFREDVS STENTZELIVS, Torgauiensis, Philos. et Med. Doct. ac Pract. Vitemberg. Respondente IOANNE GEORGIO HERNBAVR,

IN R. I. H. DE HEVCHER.

M

Ro-

Rotenburg. Franco S. S. Theol. Cult. eruditorum  
sistit examini.

Tota dissertatio uiginti quatuor constat capitibus,  
quorum. I. Graecae cognitionem linguae Medico  
genuino necessariam esse , demonstrare allaborat ;  
prima huius sententiae ratio a necessaria uerborum  
et terminorum Graecorum in Medicina usitatorum  
notitia, altera, ab utili librorum Hippocratis Grae-  
co conscriptorum idiomate lectione, desumitur. II.  
In originem uerborum  $\epsilon\nu\Phi\mu\alpha\varsigma$  bonum , atque  
 $\alpha\Phi\mu\alpha\varsigma$  malum denotantis ingenium inquirit, de-  
riuatque  $\epsilon\nu\Phi\mu\alpha\varsigma$ , ab aduerbio  $\epsilon\nu$  bene, et uerbo  $\Phi\nu\eta$   
uel  $\Phi\nu\alpha$ , quibus Poetae loco uocabuli  $\Phi\mu\sigma\iota\varsigma$  indo-  
lem et naturam significantis utantur. Ab iisdem  
uerbis nempe  $\Phi\nu\eta$  uel  $\Phi\nu\alpha$  deducit etiam  $\alpha\Phi\mu\alpha\varsigma$ ,  
quod loco  $\epsilon\nu$ ,  $\alpha\lambda\Phi\alpha$  habet priuatuum. III. Descri-  
bit  $\epsilon\nu\Phi\mu\alpha\varsigma$  seu bonum ingenium, per animae actio-  
nem bene constitutam, qua homo ope neruorum et  
succii neruei ad uarias actiones aptus redditur. IV.  
 $A\Phi\mu\alpha\varsigma$  seu stupidum ingenium, mentis hebetudinem  
et tarditatem in rebus quibusuis perficiendis, a mala  
uiscerum et succorum constitutione maxime depen-  
dentem appellat. V. Recte ingenium mentis uo-  
cari actionem, quae corporeorum adiumento orga-  
norum peragit, ex eo probat, quia mentis ope au-  
diamus, uideamus, omnesque sensuum actiones per-  
cipiamus ; id uero non sola ipsius ui animae, sed  
organorum, praecipue cerebri et neruorum ex eo-  
dem progredientium auxilio fieri, simul indicat.  
VI. Ipsius dehinc ingenii organum, cerebrum esse,  
affir-

affirmat, idque ex uaria ingeniorum constitutione, pro uaria cerebri dispositione demonstrat. VII. Non tamen existimandum esse cum Aristotele, idem ab exteriore capitis habitudine dependere, sed potius ab interiore fibrosa cerebri dispositione repetendum esse, censet, ita ut fibris cerebri neruosis una cum succo in iisdem contento bene constitutis, acutum adsit ingenium, iisdem uero male se habentibus stupidum proueniat ingenium. VIII. Cum uero pro uaria succi neruosi constitutione, ipsa uarent ingenia, idem uero e sanguine in cerebro separetur, hinc diuersam sanguinis crasin, diuersitatis ingeniorum esse causam, explicat; ipsam tamen ingeniorum diuisionem, secundum sic dicta quatuor temperamenta, nullius esse momenti, in apricum dedit. IX. Ipsa aggreditur explicare praecpta, recte formandis hominum ingenii inservientia, primumque exponit, qualis et quomodo debeat constitutus esse pater, cum uxore sobolis bono praeditae ingenio procreandae gratia concubens, monetque, ut iste 1. corpore et mente sit sanus, 2. animo hilari, nullisque praepedito aerumnis, 3. sobrius nec uino alioque potu generoso ebrius. X. Eadem in mulieribus esse obseruanda, sedulo hortatur, idque eo magis, dum non saltem futuri materiam foetus suppeditent, sed etiam succis e corpore eius continuo ad foetum deriuatis incrementum huius promoueant. XI. Quid in pueru in lucem iam edito, ad rite formandum huius ingenium sit agendum, demonstrat, et praecepit, ut matres suos, quos pepererant foetus

ipsae suis nutriant mammis, fugientes nutrices ob malam succorum corporis et morum constitutionem, enumeratis simul commodis, quae matres suam alentes sobolem obtinent. XII. Maximum uero habere momentum in excolendo hominum ingenio rectam a teneris institutionem, plurimis rationibus et Sapientum testimonii confirmat. XIII. Ad illud autem impetrandum, necesse esse indicat, ut conuictores atque inspectores, quibus cum conuersantur pueri, corpore et mente bene sint constituti, quia et corporis et mentis labem iisdem affricari experientia constet. XIV. Per informationem bonaueque instillationem doctrinae ipsa ingenia multum posse immutari, eorumque hebetudinem emendari, uariis similibus experimentis et Philosophorum sententiis manifestat. XV. Verae merita atque encomia informationis et doctrinae pertractat, cum adiuncta tam ad docentes quam discentes admonitione, et quidem ad docentes primum, ut omnia in recta puerorum informatione necessaria sedulo obseruent, ad discentes deinde, ut haec addiscant a teneris, quibus uiri facti uti possint. XVI. De ingeniorum, ratione regionum, discrepantia differit, eandemque a diuersa aeris, alimenti atque educationis constitutione deducit, maximum autem hic contribuere educationem, affirmat, qua, si bona sit, tardum emendetur ingenium, sin uero eadem mala, ipsius etiam ingenii acumen deprauari, innuit, simulque Gallorum ex dictis reprobat sententiam, qui se solos maxime ingeniosos iudicant, Germanos uero

ceu

ceu stupidos ad addiscendas literas atque excolenda studia plane ineptos pronunciant. XVII. Ob uariam populorum diuersa praeditorum indole natum ipsas ualdopere extollit peregrinationes, ceu plurimum ad ingeniorum emendationem contribuentes. XVIII. Variam ingeniorum constitutionem pro anni, diei et noctis tempore uarie dispositam a uaria succorum corporis nostri crassi et consuetudine repetit, et quae simul remedia medicina suppeditet ad uitia ingeniorum exinde prouenientia emendanda, manifestum reddit. XIX. Optima possidere ingenia uiros in flore aetatis constitutos asserit, in iunioribus uero eadem nondum perfectionem esse assecuta, in senibus uero denuo decrescere dicit; prout enim sensim sensimque exercitatione organorum corporeorum ingenium excolimus, sic idem iterum organis debilitatis et corruptis deprauatur. XX. Commendat iis, qui ad plures aetatis annos bonum desiderant ingenium, temperantiam et conuenientem rerum sex non naturalium usum, quibus quippe longam impetramus iuuentutem, organa et uiscera corporis nostri, per quae anima suas perficit actiones, in bono et uegetato statu conseruando. XXI. Non magni esse momenti ingeniorum differentiam, quae uiros inter et mulieres intercedit, eandemque maxime ab educatione atque instructione uaria derivandam esse prohibet, idque exemplo mulierum uirorum modo educatarum atque instructarum, quae omnes uiriles perficiunt actiones, confirmat. XXII. Medicamentorum usum in corruptione inge-

niorum a cacochemia dependente maxime proficuum censet, atque inter ea praecipue saluam extollit, de qua Praesidis et Auctoris huius dissertationis de dicta herba conscriptus tractatus legi potest. XXIII. Per fortunae statusque uicissitudines ingenia mutari afferit, idemque a morbis fieri ait, qui bonum in malum transmutare ingenium, laesa organorum et uiscerum structura, tardum uero et hebes emendare dicantur, educta e corpore cacochemia, ita ut uiscera ab eadem liberata, operationes suas alacrius perficiant. XXIV. Dissertationi, de habitu differens infuso, quibus immediate per Spiritum sanctum ingenia mutari, adductis exemplis demonstrat, finem imponit.

\* \* \*

Sequitur Programma, quo Ordinis Philosophici Decanus, MART. GOTTHELF LOESCHERVS, Phil. et Med. D. Phys. P. P. O. Med. Extra-ord. Sereniss. Ducis Saxo-Vinariens. Physicus Prouincialis, atque h. t. Imperiali Auctoritate Constitutus Comes Palatinus, Philosophiae & Artis Poeticae Canditatos ad Magisterii honores inuitauit:

**Q**uo ad ego equidem animum ad Philosophiam praecipue Naturalem, quam auctoritate Regia in hac Academia doceo, appuli, illud mihi maxime curae cordique fuit,

fuit, ut hanc praestantissimam humanae sapientiae partem, et ad Rempublicam, et maxime ad diuinitus nobis in sacro codice reuelata accommodarem. Ex quo factum est, ut horum peruersum philosophandi modum summopere semper sim aduersatus, qui sibi nimium tribuunt, alios prae se contemnunt, atque nae intelligendo faciunt, ut nihil intelligent, nugas potius agant, eisdemque res diuinias, diuina neglecta reuelatione, inuestigare et exponere non erubescant. Nam Philosopho Christiano illud maxime negotii datum esse, existimo, ut Naturam summa cum diligentia, et attentione, intueatur, inuestiget atque exploret, in eademque uestigia summi et omnipotentis Conditoris, quanta potest animi contentionе, persequatur, omniaque, sibi obuia, sedulo cum diuina scriptura conciliet. Nimis uero prolixum foret, omnia in praesenti disputare, quae, ex rerum naturalium scientia, ad illustrandam Sacram Scripturam, possunt desumi, et quae impie saepius ac petulanter e multis et detorquentur et explicantur. Vnicum itaque tantummodo Exemplum in medium proferam, ostendens,

dens, quam optime ea, quae in sacris literis consignata sunt ad naturam spectantia, cum illa ipsa conuenire. Constat inter omnes, quantum ibidem extet irae diuiniae testimonium, nempe diluvium uniuersale, quod ab aliis etiam maximum appellatur. Quem tamen fugit, dari non nullos, qui uel illud prorsus negant, uel tantum, non uniuersale fuisse, contendunt, quos ipsa redarguit rerum naturalium etiam praesens constitutio. Non opus erit, cumulare omnia eius rudera in toto globo terraquo, terra, qui uulgo appellatur conspicua, eademque hoc loco recensere, de quibus egit TH. BVRNETIVS *Theoria Telluris Sacra*, nec non IOH. WOODWARDVS *Specimine Geographiae Physicae*, praesertim cum multa eorum cautione omnino indigeant. Neque nostram facimus opinionem, quae omnes montes ex diluvio uniuersali originem suam habuisse, cum Burnetio adstruit. Licet enim ad probationem huius sententiae dicant, potuisse aquarum diluvianarum uim, terram excauando, ualles, et terrae excauatae molem ad modum alluvionis aliunde transferendo, montes producere, nihil omi-

ominus tamen a posse ad esse non ualet consequentia. Et si quidam montes etiam exinde sunt orti, quale Exemplum apud SCHEVCHZERVM *Oreographia Helvetiae* relatum legimus, qui in Montibus Alpinis ingentes satis rupes, ex conchis aliis. que marinis corporibus coagmentatas obseruat, iuxta eius opinionem a diluuiio uniuersali ex fundo maris huc prouectas, tamen a particulari ad uniuersale nulla firma et ualida procedit argumentatio. Accedit, quod montium insignis semper sit in terra utilitas, et hinc summa necessitas. Dant enim ortum fontibus et fluminibus, atque in iisdem plantae peculiares progerminant, nec non metalla generantur, et multum denique ad regionum salubritatem, ornatum, aspectumque faciunt, ut elegantissima Scripturae Sanctae, eorum existentiam ante diliuuium egregie confirmantia, testimonia taceamus. Silencio etiam praeterimus uana illa, quae uulgo narrantur de Iride Antediluviana, ab iis, qui illam ipsam signum remotium quasi et non ampliusredituri diluuii maximi esse, nouitatis pruritu commoti, inficiantur. Sunt enim ante pedes optimae, euidentissimaeque uniuersalis diluuii

monumenta. Prouocamus ad lapides durissimos et solidissimos, in quorum intimiori substantia, pisces, conchas, conchylia aliaque marina recondita, uel quoad totam suam substantiam uel figura elegantissima, expressa et deprehendimus et admiramur. Possideo ipse conchas petrefactas, ex gremio terrae effossas, nec non conchites, pectinitesque durissimis lapidibus inclusas, et uel in profundioribus terrae cauernis, uel altissimis montium cacuminibus inuentas, Possum quoque demonstrare Ichthyolithos, seu lapides pisces in se continentes, quales multi in uariis Germaniae regionibus et maxime Thuringia in lapide scissili obseruamus, de quibus nullum est dubium iuxta saniores Physicos, quin existant uniuersalis diluuii testimonia. Memoriae etiam prodidit PETRVS WOLFARDVS *Institutionibus Phys. Experimental. et peculiari Tractatu Hassiam uberrimum largiri eiusmodi lapidum prouentum, atque qui collectionem quandam eorum desiderat, maxime ex montibus Heluetiae petitrum, ille adeat IOH. SCHEVCHZERI Historiam Heluetiae naturalem, Descriptiōnem*

nem Itineris Alpini Phylico-Medici, et Musaeum Diluvianum. Atque adeo haec ha-  
ctenus allata mihi ita comparata esse ui-  
dentur, ut is omni lapide durior uocandus  
sit, qui haec testimonia, omni exceptione  
maiora negare, uel in dubium saltem uo-  
care, audeat. Quod si uero aliquis oc-  
currat, forsan eiusmodi corpora marina  
ex Oceano per canales subterraneos ad  
nostras penetrasse regiones, atque natu-  
ram lapideam induere, seu naturae uir-  
tutem formaticem tales efficere lusus;  
ab illo efflagitamus, uelit demonstrare,  
quo pacto haec corpora ex canalibus sub-  
terraneis possint adire altissima montium  
iuga, et quod non uera ac genuina sint  
marina corpora, sed a natura tantum mo-  
do hac figura ornata, quae et quoad for-  
mam externam, et internam, seu natura-  
lem constitutionem, uerosimilius ad ma-  
rina, quam mineralia, referuntur. De  
reliquo ipsa, quam pedibus conculca-  
mus, terra, si coniecturae locus est, non  
obscura nobis ob oculos ponit diluvii uni-  
uersalis rudera. Sienim exteriorem eius  
partem paulo accuratius contemplamur,  
obuia nobis est elegantissima, ex quibus

con-

constat, stratorum uarietas, quae uel arenam, uel limum, uel argillam, uel terram rubram, gypseam, cretaceam, uel durioram lapideam, marmoream, metallicam, maxime in profunditate, exhibit faciem, uidelicet ab inundatione aquarum productam et uarie permistam. Quo loco notandum, et eos, qui uineas elaborant, ipsosque agricultas effodere et exarare ex superficie uinearum et agrorum, multos lapides siliceos, pyrites quos uocamus, quorum similes et affines in fundo maris periuntur, qui forsan ab aquis diluvianis in generali inundatione globi terraquei, ex profunditate maris, ad superficiem terrae sunt aduicti. Atque ita ex his omnibus haetenus adductis relinquitur, quomodo procedere debeamus, si sententia dicenda est, de rebus naturalibus in sacris litteris obuiis. Diligenti enim naturae Scrutatori nunquam deerunt argumenta ex ipsa natura petita, quibus ea quae ibidem naturalia afferuntur, ob oculos quasi ponere, et luce meridiana clariora reddere possit. Sed haec latius persequi, instituti mei ratio prohibet. Significandum enim est, appropinquare tempus, quo ex decreto

to

to Amplissimi Philosophorum Ordinis,  
more institutoque maiorum, honores  
summi tum in Philosophia, tum in Arte  
Poetica, illis conferendi sunt, qui bonis  
literis sedulam hactenus operam nauan-  
tes, felices in eruditione fecerunt progres-  
siones. Quapropter Vos, Optimi, Claris-  
simi Nobilissimique Philosophiae et Artis  
Poeticae Candidati, ea, qua par est, huma-  
nitate inuito. Agite, nomina uestra ma-  
ture, ut omnia recte peragantur, profite-  
mini, atque honores, iura, immunitates,  
priuilegiaque, tanquam praemia eruditio-  
rum Vestrorum laborum, studiorumque  
feliciter exantlatorum et absolorum, me  
accurante, die XXIX. Aprilis praesentis  
anni capessite. Viris laude dignis eius-  
modi debentur honores, uirtutum prae-  
mia, atque gloriae amplificationes. Ita-  
que magna animi contentione ut uobis  
omni laude, honoreque exornandis, uir-  
tutis et eruditionis insignia praebeam, me  
accingo, atque inter maximam felicitatis  
meae partem repono, quod Vobis hono-  
res in Philosophia et Arte Poetica Sum-  
mos decernere mihi liceat. Honor enim  
alit artes, grauiter pronuntiante Oratore

Ro.

Romano Cicerone, omnesque incenduntur ad studia gloriae. Deus vero Immortalis iubeat, ut omnia, quae a nobis geruntur, fausta, felicia atque fortunata sint, atque cum magno Reipublicae Litterariae augmento et emolumento bene feliciter que eueniant. P. P. Dominica II. post Epiphani. A. O. R. M DCC XXIV.

\* \* \*

Rectore Magnifico, IOANNE HENRICO DE HEVCHER, Consiliario Aulae atque Archiatro Regio Anatomes et Botanicae Prof. Publ. Ordinis Philosophici Decanus in Academia Vitembergensi, MARTINVS GOTTHELF LOESCHE-RVS, Physices P. P. O. Med. Extra-ord. Sereniss. Ducis Saxo-Vinariens. Physic. Prouincial. et h. t. Imperiali auctoritate Constitutus Comes Palatinus, Schedula publica d. 28. April. intimauit, quod praemium, Summum Magisterii Philosophici gradum, insignia et priuilegia ad diem 29. April. in Brabeuterio Magno, autoritate publica tribuere uellet. Vitemb. pl. I.

Haec sequi deberet Oratio Dn. D. LOESCHERI, Decani, quam ante Insignium et Priuilegiorum distributionem habuit,

cum

cum Responsione Dn. Prof. VVEIDLERI.  
Propter impedimenta uero quaedam, hac  
uice inseri non potuit, reseruanda sequen-  
ti parti.

MARTINVS GOTTHELFF LOE-  
SCHERVS, Phil. et Med.D. huiusque Pro-  
fess. Publ. Extraord. Phys. ord. nec non  
Serenissimi Ducis Saxo-Vinariens. Phys.  
Prouinc. h. t. ordinis Philos. Decanus, et  
Imperiali Auctoritate constitutus Comes  
Palatinus, die 29. Aprilis Magistrorum  
Philosophiae a se recens creatorum cata-  
logum edidit, ipsisque gratulatus est.  
Utrumque et Catalogum et gratulatio-  
nem inferimus:

*Nomina ordoque Magistrorum.*

I.

Andreas Iansson, *Rector Gymnasii Carlsro-  
nen sis in Suecia.*

II.

Iohannes Christophorus Schüsler, *Pastor  
Adiunctus Hohnsteinensis.*

III.

Wolfgang Balthasar Adolph de Stein-  
wehr, *Eques Marchicus.*

IV.

Hieronymus Godofredus Schroer, *Vit-  
temberg-Saxo.*

V.

V.

Caspar Christianus Zimmermann, *Bled-*  
*dinensis Saxo.*

VI.

Henricus Gerhardus Meier, *Bremensis.*

VII.

Iohannes Gerhardus Meier, *Bremensis.*

VIII.

Iohannes Rudolphus Grischov, *Gedanens.*

IX.

Guilielmus Ludouicus Nitzschius, *Otino-*  
*Holsatus.*

X.

Ieremias Kaetzlerus, *Hirschberg a Silesius.*

XI.

Iohannes Dauid Dieterich, *Quedlinbur-*  
*gensis.*

XII.

Iohannes Samuel Billeb, *Sondershusa Thu-*  
*ringus.*

XIII.

Iohannes Fridericus Riemenschneider,  
*Anhaltinus.*

XIV.

Iohannes Christianus Cochlerus, *Wahren-*  
*brugensis Saxo, Cantor Suidnicensis.*

XV.

Beniamin Klein, *Vratislauiensis.*

XVI.

IN R. I. H.

XVI.

Georgius Immanuel Weidler, *Macro-  
Neohuso Thuringus.*

XVII.

Petrus Fridericus Küschius, *Sleswicensis  
Holsatus.*

XIX.

Iohannes Adolph Seyffart, *Dohnauiensis  
Misnicus.*

XIX.

Carolus Christophorus Eccard, *Pappen-  
dorffensis Misnicus.*

XX.

Johannes Opitius, *Schmideberga Silesius.*

XXI.

Johannes Christophorus Hoeferus, *Pra-  
trovallensis Misnicus*

XXII.

Josephus Augustus Segnerus, *Vratislavi-  
ensis.*

XXIII.

Georgius Irmlerus, *Dubena Saxo.*

XXIV.

Johannes Gabriel Weber, *Thomae Pan-  
tano Thuringus.*

XXV.

Christianus Fridericus Gerlach, *Oedera-  
no Misnicus.*

## XXVI.

Andreas Hoffmannus, *Smiegla Polonus.*  
XXVII.

Christianus Tobias Koch, *Tennstadio Thu-  
ringus.*

## XXVIII.

Carolus Fridericus Haenichen, *Tedelvi-  
censis Misnicus*

## XXIX.

Johannes Christophorus Klotzius, *Som-  
merfelda Lusatus.*

## XXX.

Fridericus Matha, *Pfaffroda Misnicus.*

## XXXI.

Johannes Caspar Renner, *Vratislaviensis.*

## XXXII.

Johannes Dauid Matthaeus, *Hanouia Si-  
lesius.*

## XXXIII.

Georgius Loebelius, *Dietrichsdorffensis  
Misnicus.*

## XXXIV.

Christian Gottlieb Gloeckner, *Schwar-  
zenberga Misnicus.*

## XXXV.

Gotthard Senftleben, *Tommendorffio Si-  
lesius.*

*Salve!*

Salue! clara cohors, patriae spes optima,  
salue!

Quae uirtute Tua nobilitata nites,  
Praemia quae studii, me diribitore, tulisti,

Quam mihi, quam ceteris sic decorata pla-  
ces!

Gatulor ipse mihi, frontem cinxisse corona  
Et Laurum dignis applicuisse Viris.

Gratulor at Vobis etiam, quos fertis, honores,  
Contingantque breui culmina summa pre-  
cor.

Sic olim patriam non taedet honoribus auctos  
Illos, quos patriae solus habebit bonos.



**Sequentes Libri hic loci prodierunt  
in Bibliopolio**

**GODOFR. ZIMMERMANNI.**

M. Ioh. Georg. Leutmanns, *Trifolium Utile: Drey sonderbare fast unentbehrliche Notwendigkeiten in einer Stadt*, 1) wie die gemeine Uhr recht gehen. 2) Eine nutzbare Feuer-Spritze bereitet. 3) Eine dauerhafte Pumpe und Brunnen angeordnet werden können, allen in Städten und Dörfern höchst-nöthig zu wissen, und zu gebrauchen angewiesen. 7½ pl. 5 fig.

**In Bibliopolio**

**CHRISTIANI THEOPH. LUDOVICI.**

W. de Britaine. *Menschliche Klugheit oder die Kunst, wodurch ein Mensch sich und sein Glück hoch empor bringen kan.* Aus dem Englischen übersetzt, vierdte Auflage in 8. 1. Alph. 6. pl.

**In Bibliopolio**

**SAMVELIS HANAVERI.**

D. Casp. Henr. Hornii tractatus ex Iure publico de Burggrauis Magdeburgicis cum Indice Necessario, in 4to. 13. pl.

**In Bibliopolio**

**GEORG. MARC. KNOCHII.**

*Acta Academiae Vitembergensis in Rectoratu sestri Christoph. Henr. de Berger, Com. Palat. Cæsar.*

far. Potent. Polon. Reg. et Elect. Saxon. a Consil.  
Aul. &c. A. C. 1723. in 8uo 17. pl.

I. C. Speners, teutschen Iuris Publici, oder des Heil.  
Röm. teutschen Reichs vollständiger Staats-Rechts-  
Lebrer 3ter Theil. In sich haltend derselben andern  
Buchs neun übrige Capitel, nebst einem Register  
der wichtigsten in den 3 ersten Theilen befindlichen  
Sachen, Frf. und Leipzig in 4to 2. Alph. 12. pl.  
Ioh. Christ. VVichmannshausen, Ling. Oriental.  
P. P. Gymnasium Arabicum in quo tres priores  
Daudis odae cum uersione Latina et Notis Cri-  
tico-Analyticis in usum Acad. exhibentur in 4to  
17. pl.

M. I. D. Steuckardi Tentamina Sacra ex omnibus  
Theologiae partibus item Philologia Sacra Histo-  
ria Ecclesiastica et literaria Theologica etc. p. IIda  
in 8uo 9. pl.

Auch ist bey demselben zu finden

Claud. Broussons (welcher wegen Bekäntniß der  
Warheit nach der Gottseligkeit zu Montpellier  
den Marter-Todt ausgestanden,) das Hohe-Lied  
Salomonis in einigen geistlichen Send-Schreiben  
an die Braut Jesu Christi, unter dem Creutze er-  
kläret, welchem noch eine andere erbauliche Para-  
phrasis dieses Hohen-Liedes beygefügert worden,  
nebst der Lebens-Beschreibung Claud. Broussons,  
aus dem Frantzösischen übersetzt von Leonhard  
Christoph Rüchlen, Frf. und Leipzig, in 8uo 1. Alph.  
12. pl.

*Gründliche Vorstellung von der Röm. Cathol. Kirchen nichtigen Unfehlbarkeit, in so ferne sich dieselbe auf die Hoheit des Papsts als des Apostels Petri Nachfolger gründet, aus der H. Schrift, Zeugnissen der Kirchen-Väter und Nachricht aus der Kirchen-Historie kürzlich entworffen von einem Christl. Politico, nebst einer Vorrede Herrn Val. Ern. Löschers, S. S.Th. D. Ober-Consistorial-Rath und Superintendent zu Dresden, Frf. und Leipzig in 8uo 7½ pl.*

*Zwey neue Jesuitische Meister-Stücke, so aus einer Officin kommen, werden allbier beleuchtet und nach Verdienst abgefertiget von Sincero Celta. Darinn ist enthalten 1) wohlverdientes Schul-Recht, welches dem so genannten Theologo Polono auf seine XV. Motiuia gegen die Union wiederfähret. 2) Der in einen miserablen Marionetten-Spieler verwandelte so genannte Theologus Polonus zur Antwort auf die Läster-Schrift leicht und kräftiges Mittel dem neulich entstandenen Feder-Streit zwischen Herrn D. V. E. Löscher und seinen Widersachern gänzlich aufzuhaben, allwo zugleich die Haupt-Frage von der Benennung der Päpstischen Tauffe erörtert wird, in 8uo 11. pl.*

*Regeln und Exempel der Bereitsamkeit aus guten und raren Schriften der Ausländer gesammlet und ins Teutsche übersetzt, 2ter Theil, darinne enthalten 1) des Herrn von Fenelon andres Gespräch von der Bereitsamkeit. 2) Eine Predigt von der Aufmerksamen Betrachtung der Strafen Gottes, bey Gele-*

Gelegenheit der in Prouence grassirenden Pest gehalten von I. P. de Cronsaz Prof. auf der Academie Laufanne. 3) Das Leben D. Ioseph Halls Bischoffs von Norwich aus dem Englischen übersetzt. 4) Lob-Schreiben an den Herzog von S. Aignon, aus den Lettres choisies de l'Academie Françoise. 5) Ungedrucktes Sinn-Gedichte eines ungenannten Welschen, nach der Composition Herrn Francisci Conti mit einiger Freyheit übersetzt. in quo  
7½ pl.

M. Gothofr. Christoph. Claudius, Past. Pratau. Historia Fratrum Sportulantium ex antiquitate idoneis Documentis eruta atque exercitatione ad Coecil. Cypriani lib. I. epist. IX. per modum vindicarum sedulo explicata. Frf. et Lipsiae in quo  
11 pl.

F I N I S.

